
GENUINA RATIO
CUR
PLEURITIDE VERA SAEVIENTE
VENAE SECTIO
AFFECTI LATERIS
ALIAS
DERIVATORIA
DICTA
PRAEOPTANDA
SIT.

AUCTORE
D. DAVID WIPACHERO
JUNIORI

LIBRO SINGULARI
COMPLEXA.



LUGDUNI BATAVORUM,
Typis ELIAE LUZAC, Jun.
MDCCLVI.

VIRO

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

DOMINO

D. JOACH. FRID. BOLTEN,

INCLYTAE

AC

LIBERAE SACRI ROMANI IMPERII

REIPUBLICAE HAMBURGENSIS

ARCHIATRO

MERITISSIMO

PATRONO FAUTORI

AMICISSIMO

ATQUE

SUMMOPERE COLENDO

FELICITATEM PERPETUAM.

Inter varia, quæ commovent alios ut primatibus atque proceribus ſuos dedicent labores, Tua, Vir gratioſe, me impulit comitas & affectio prorſus admirabi-

 lis,

lis: Hac enim perinde captus ac illa fretus lucubrationum mearum ſpecimen quoddam, in ſpem gratæ acceptionis jucundæque interpretationis Tibi offerre, nullus dubitavi.

Præſentem autem quod attinet tractationem, non omni eam apud Te fore deſtitutam benevoli judicii felicitate ideo reor, quod ejusmodi morbum objecti locum occupare voluerim, cuius ratio plane ſingularis aliqualem eidem præ reliquis conciliet primatum atque prærogativam, ut eius generis aliis permultis merito prælucere poſſit morbis, partim, quod Hippocrates divinus de victus ratione in morbis acutis, libro primo, illum maxime medicum, qui in pleuritide curanda longe melius cæteris ſe gerat, probandum eſſe cenſuerit: partim etiam, quod jam olim, heroicis illis atque aureis ſeculis idem morbus funeſta eheu! Aeſculapii, medici eximii & inter indigetes radiantis clade, maxime factus fuerit famoſus:

hunc

hunc enim pleuritide tactum diem obiisse supremum, haud ignobiles prodidere auctores.

Cum ergo hic morbus non minus periculosus ac præsertim medicis fatalis extiterit, æquum profecto, quin maxime conveniens & aptum duxi, viciſſim medico tam invisi mali excidium & ruinam dicare; medico ajo, cuius indolem & ingenium præclara scientia plenum jure admiror.

Accipe adeoque Excellentiſſime Vir, approba sodes! voluntatis meae conamen, quod Tibi in testimonium devotae mentis & debitae observantiæ fervente jam opere destinaveram: si enim, quod Tibi produxi, quadantenus etiam placuerit, ingens, crede mihi, operae solamen & laborum dulce lenimen reportaturus ero.

Faxit DEVS, qui Te hucusque salvum sospitemque præstitit, ut & in posterum votis tuis atque optatis exacte respondeant cuncta & ex sententia feliciter Tibi succedant: secundet,

fortunet, profperet SVPREMVM NVMEN Te tuaque coepta, praeftet Te fartum tectumque ad Neftorios usque annos, quo, ficut in reipublicae decus atque ornamentum, ita & in eiusdem ufum & emolumentum diu fuperftes maneas; neque minus in ope aegrotis ferenda profpero eventu & felicitate perpetua Te uti fruique, tuamque laudem nunquam emorituram patiatur. Vale Vir Ampliffime feliciter & amare perge

EXCELLENTISSIMI

NOMINIS TUI

Cultorem addictiffimum

D. DAVIDEM WIPACHERUM.

LEC-



LECTORI CANDIDO

S. P.

Quanquam pleuritis ipsa, quomodo & controversia, de venae affecti vel oppositi lateris incisione, sæpius & fervore insigni agitatæ fuerint, complures etiam operosæ diligentiæ multum, in investigando & cognoscendo frustra consumserint: nihilo tamen secius & mali truculentia & indicationis difficultas eo usque animum pepulerunt, ut & meas qualescumque vires, in hac offensionis caute amolien-

da, experiri, operæ pretium fore ſtatuerim.

Motus ergo & rei neceſſitate & abdita ejusdem ratione demonſtrandi operam inſumſi; & quia materiam ſcribendi præter opinionem mihi creſcere, explicationem etiam, rei difficultate ſic poſcente, paulo fuſiorem, quam apud animum conſtitueram, evadere animadverterim, haud abs re fore ſtatui, ſi aliquando occaſione opportuna occurrente, ſpinoſam hancce quæſtionem, ſub forma tractationis non adeo prolixæ, publici juris facerem, eandemque ventilarem & venæ affecti lateris inciſionem vindicarem.

Problema præſens autem a multis jactatum, nunquam tamen perfecte ſolutum, demonſtrationibus anatomico-phyſiologicis pariter atque pathologicis explicatum trado, nullus dubitans, & hanc meam operam gratam futu-

ram

ram iis, qui, non in ambigendo, (ut semi docti docent,) sed decidendo medici & medicinæ excellentiam ponunt; quando nihil quidem mihi unquam potius fuerit, quam hac in parte præsertim egentium inservire commodis, meoque desiderio facere satis. Quibus meditationes & speculationes cordi sunt, habebunt, vere ut dicam, quo animum exercere possint, siquidem rei veritas & evidentia non nisi principiis procul petitis innititur iisdemque stabilitur.

Ordo tandem, quem servaturi sumus sequens esto, ut parte priori venæ sectionem derivatoriam generatim pertractando, Hippocratis & Galeni *circa eam placita primo loco exponamus: deinde, adversariorum opiniones refutemus: tertio, utrisque faventium propositiones expendamus: quarto, neutræ sententiæ addictorum ratio-*

 tio-

tiones examinemus: Parte posteriori vero, speciatim eandem aggrediendo, primo, pleuram anatomice & physiologice contemplemur: secundo, pathologiam pleuræ, e præcedentibus optime perspiciendam, exponamus: tertio, ex hisce duobus indicationem ad venam medianam affecti lateris incidendam, tanquam consectarium colligamus: quarto, ea, quæ hactenus ratione constare ostendimus, experientia etiam confirmemus: quinto, cautelas quasdam circa hancce venæ sectionem, nunquam negligendas, subjungamus.



PARS



PARS I.

DE
VENAE SECTIONE
IN
PLEURITIDE GENERATIM.



CAPUT I.

Hippocratis & Galeni circa derivatoriam venæ ſectionem placita continens.

VENAE ſectionem a veteribus in *evacuatoriam*, *revulſoriam* & *derivatoriam* non temere fuiſſe diviſam, ii norunt, quorum ſcientiam non illorum auctoritas aut vana ſpe-

culatio, ſed rationum ſcrutinium quotidiana experientia junctum & auget & confirmat.

Eſt autem *prior* talis, quæ in cauſa univerſali circumducta & per totum corpus ſive qualitate ſive quantitate peccante, nullo ad vaſa habito delectu, dummodo ad incidendum & deligandum apta extent, adhibetur: *altera*, quæ & Græcis ἀντίσπασις (α) dicitur, quando malignitas in parte quadam nobiliori, vitali, aut ſaltem ab ea non procul deliteſcens, in aliam, eandemque remotiorem & injuriae opportuniorem lege circuli revocatur: *tertia*, παροχέτευσις (β) alias appellata, quando ſanguis e privato in quo aggeſtus eſt loco aut ſaltem eidem proximo educitur.

Quemadmodum autem phlebotomia ſuperior per ſe vera omnisque dubitationis expers eſt, ita & reliquas duas, quicquid etiam ambegerint alii, indubitatae eſſe experientiæ plane conſtat. Etenim quantum ad revulſoriam phlebotomiam pertinet, nemo eſt, qui ejus præſtantiae ignoret exempla, præſertim in iſtius modi morbis, ubi non habet locum derivatoria: talem

(α) *Galenus* Lib. II. ad Glaucum cap. VII.
(β) *Idem* loc. cit.

lem autem effectum in homine revera contingere, ideo subleftae fidei dici nequit, quod & insuper metastases morbosæ, nunc salubres, nunc funestæ, evacuatione quavis ortae, ejus rei luculentissimum nobis exhibeant indicium: ut igitur adeo absonum non sit, quando *Dominicus Sala* (γ) aliique praestantissimi, aperta brachii vena, materiam peccantem e pede in brachium retrocessisse, perhibuerint. Derivatoriam porro in acutis & quidem partialibus affectibus aeque praesentissimum praestare auxilium ac ipsa rationi congrua & consentanea est, illustrioribus & eruditione spectatissimis non solum innotuit, sed & fundamento stabili ac solido firmiter innititur; licet a variis, iisdemque non ignobilibus, praecipue quoad ejus in pleuritide usum, ubi communiter ex mediana dolentis lateris exercetur, multis retro lustris acerrime impugnata fuerit.

Quare igitur, cum nihil magis ad tam immanes dissensus & enormes altercationes inter auctores occasionem praebuerit, quam si praerogativae, quibus utra prae altera vena mediana proprie gauderet, demonstran-

(γ) Apud *Rhodium* in Analect. in Ludov. Septalii animadvers. med. pag. 586.

ſtrandae veniebant, maxime eas indicare, & opiniones aliorum radicitus excutiendo, perſpicuas reddere, mecum conſtitui.

Si itaque a priſcis medicinae vatibus, ut fas eſt, incipiamus, jam olim inter Graecos vetuſtos (δ) Latinosque (ε) dolen-

(δ) *Hippocrates* de victus ratione in morbis acutis Libro IV. Item Libro I. de morbis cap. IX. de pleuritide & peripneumonia quae ſine ſputo ſunt. *Galenus* commentario II. in textum X. Item, commentario IV. in textum LXXIII. Item, de curandi ratione per venae ſectionem cap. XVI. *Oribaſius* I. Synopſ. cap. X. & Lib. VII. Collect. cap. V. It. de comp. med. ad Euſtathium filium. *Aëtius* tetrabibl. I. ſerm. III. cap. XII. Item III. Serm. I. cap. II. *Paulus* Libr. II. cap. XL. *Alexander Trallianus* Libr. I. cap. XIV. Item Libr. VI. cap. I. *Nonus* cap. CXXIX. *Actuarius* de methodo medendi Libr. III. cap. I. in medio & fine. Item Lib. IV. cap. IV.

(ε) *Celſus* Lib. II. cap. X.

(ζ) *Petrus Briſſotus* de miſſione ſanguinis in pleuritide Pariſiis 1525. *Mattheus Curtius* de venae ſectione in pleuritide Venetiis 1539. *Andreas Veſalius* Epiſt. de venae ſect. in pleurit. apud Cominum de Tridino 1544. *Martinus Acakia* comment. in artem parvam Galeni pag. 36, 37. Venet. 1544. *Franciſcus Valleriola* Libr. I. Enarr. III. fol. 54-56. Venet. 1555. *Joh. Baptiſta Suſius* Mirandulenſis de venis e directo ſecandis. Cremonæ 1559. *Leonardus Jacchinus* Comment. in IX. Libr. Rhaſis. cap. XXXIX. pag. 269. Baſil. 1564. *Antonius ab Altomar* de med. humani corporis malis cap. L. pag. 370. Lugd. 1565. *Ferdinandus Mena* Rat. med.

lentis lateris venam optare moris fuiſſe, deprehendimus, quorum partibus etiam ex recentiorum (ζ) quin & neoterico-
rum

med. febr. cap. XLVIII. pag. 137. Antwerp. 1568. *Joh. Nicolaus Rogerius* Salernitanus comment. in Lib. Galeni de curand. rat. per ſanguinis miſſ. pag. 186. usque ad 194. & ſequ. Campaniæ 1570. *Jacobus Hollerius* de morbis internis Lib. I. fol. 108. Lugd. 1578. *Salvus Sclanus* Neapolitanus Comment. in Libr. I. aphor. Hipp. ad aph. XXI. pag. 305. Venet. 1583. *Gauaſetius* de indicationibus curativis Lib. I. cap. LXVI. Venet. 1586. *Petrus Paulus Pereda* Setabenſis in Schol. ad *Mich. Joh. Paſchalii* meth. curandi Lib. I. pag. 80. Lugd. 1587. *Franciſcus Valleſius* controv. med. & phil. Lib. VII. pag. 327. Francof. 1590. *Annibal de Nicolinis* Peruſiæ 1591. *Joh. Paulus Pernumia* Lib. VI. pag. 503. Francof. 1596. *Joubertus* Dec. I. Paradox. IX. Francof. 1599. in folio. *Dionyſius Fontanonus* de morbis intern. cur. Lib. II. cap. V. pag. 172. Francof. 1600. *Hercules de Saxonia* Pantheo med. ſelect. Lib. II. cap. V. pag. 169. ibid. 1603. *Leonhardus Fuchſius* oper. didact. P. III. de medend. morb. L. II. cap. VIII. It. Paradox. med. Lib. II. cap. IV. pag. 372. ad 378. ibid. 1604. *Joh. Carvinus* de ſanguine Dial. VI. pag. 232. Hanov. 1605. *Ludov. Mercatus* op. T. II. de rect. præſid. art. med. uſu. L. I. pag. 71, 72. Francof. 1608. *Montanus* Conſil. 173. *Marcus Antonius Montiſianus de S. Geminiano* Quæſt. medicinal. *Wilh. Rondelet* meth. cur. morb. Lib. II. cap. XI. pag. 301. Genev. 1610. *Petrus Vaſcus Caſtellus* Tr. V. cap. X. Diff. III. pag. 494, 495. Toloſ. 1616. *Hieronymus Mercurialis* L. II. Pract. cap. IX. pag. 229. Venet. 1617. *Chriſtophorus a Vega* Lib. II. de art. med. Sect. V. cap. II. pag. 206. & ſequ. Lugd. 1626.

rum (η) cœtu, in re medica summe versati viri subscribere non dubitarunt: at, rationem genuinam & ex asse sufficientem, ob quam ita procedendum sit, aut reticuerunt, aut nobis scrutandam reliquerunt.

Sic autem ab *Hippocrate* (ϑ) exaratum accepimus:

AΛ

1626. *Vidius* de curat. L. VIII. p. 380. Francof. 1626. *Renatus Moreau* de ven. sect. in pleur. Paris. 1630. *Alexander Massarias* op. med. L. II. cap. III. Lugd. 1634. *Amatus Lusitanus* in schol. curat. L. II. cent. V. *Hildanus* cent. V. obs. 30. *Zacutus Lusitanus* Prax. hist. L. II. cap. III. pag. 309. b. Lugd. 1649. *Ludov. Septalius* Animadvers. L. VI. p. 171, §. 117. Patav. 1652. *Heurnius* de morb. pect. cap. I. Lugd. 1658. *Lazarus Riverius* Pr. med. L. VII. cap. II. p. 436. ib. 1674. *Bartolettus* L. V. cap. VII. *Bernhardus Verzascha* obs. med. cent. obs. XV. pag. 39. Basil. 1677. *Baglivus*, *Deusingius*, *Barbette*, aliique complures brevitatis ergo omittendi.

(η) *Thomas Sydenham* de febribus cap. III. p. 265. Lugd. Bat. 1726. *Frid. Hoffmannus* Medicina systemat. T. IV. P. I. S. II. cap. VI. sub tit. curatio §. 2. Francof. ad Moen. 1738. *Trillerus* commentat. de Pleurit. cap. II. §. 33. pag. 30, 31. Francof. ad Moen. 1740. *Platnerus* chirurgia idiom. germ. redd. T. II. §. 1328. Lipf. 1748. *Joh. Oosterdyck Schacht* Instit. med. pract. L. V. cap. I. pag. 144. Traj. ad Rhen. 1747. *Suietenius* Comm. T. III. ad Boerhavii aph. 890. *De Gorter* Exercit. med. de motu vitali §. LIII. ad LV.

(ϑ) Libro de victus rat. in morb. acut. II. aph. X.

Ἀλλ' ἢν μὲν σημαίνῃ ὀδύνη ἐς τὴν κληῖδα, ἢ ἐς τὸν βραχίονα βάρος, ἢ περὶ μαζὸν, ἢ ὑπὲρ τῶν φρενῶν, ταμνειν χρὴ τὴν ἐν τῷ ἀγκῶνι φλέβα τὴν εἴσω.

At siquidem dolor ad claviculam pertigerit, aut molestus sit vel brachio vel mammæ, vel partibus septo transverso superioribus grauitas, internam cubiti venam secare oportet.

Et alio loco (ι).

Ἢν μὲν ὀδύνη ἄνω περαίνῃ περὶ κληῖδα, ἢ περὶ μαζὸν καὶ βραχίονα, τέμνειν χρὴ τὴν ἐν τῷ βραχίονι φλέβα, τὴν εἴσω, ἐφ' ὁκότερον ἂν ᾖ τῶν μερῶν τὸ τόδε.

Si dolor sursum penetraverit vel claviculam, vel mammam, vel brachium, venam brachii internam secare oportet, qua dolor afficit parte.

Item fragmento, quod *Galenus* (κ) nobis servavit:

Ὅσοι κατ' ἴξιν αἱμοῤῥαγεῖ, μεγίστην ὠφέλειαν ἐπιφέρειν τοῖς νοσοῦσι τὰ δ' ἀνάπαλιν αἱμοῤῥαγοῦντα, μηδὲν ὠφελεῖν ἢ καὶ βλάπτειν ἐνίοτε τῷ καταλῦσαι τὴν δύναμιν ἄνευ τοῦ τὸ πάθος κουφίσαι.

Quibuscunque κατ' ἴξιν *eruptio sanguinis accidit, summum id commodum laborantibus af-*

(ι) Libro de vict. rat. in morb. acut. IV. aph. LXXIII.

(κ) Lib. de curandi ratione per sanguinis miss. cap. XV.

affert, quibus vero contra evenit, nihil juvat, aut etiam interdum nocet, quod vires scilicet citra morbi levamen dejiciat atque exsolvat.

Quæ loca *Galenus*, (λ) nihil minus quam quod futurum erat, suspicatus, ad sensum communem & ab omnibus Græcis receptum explicuit, præcipue vero quantum attinebat terminum καὶ' ἴξιν, (pomum illud eridos,) vim vocis simpliciter secutus, eundem *e directo* seu *secundum rectitudinem* & quidem affecti lateris intelligendum esse clare ostendit, idque ex nexu vasorum intercostalium cum vena ἀζυγῳ, & hujus cum vena cava superiori communicatione, itidemque ex conjugio quatuor intercostalium cum subclavia probans, medentes, harum per brachiales dolentis lateris venas evacuatione, citiori ægrotos auxilio solari, quam si alio quocunque modo institueretur, jure meritoque existimavit (μ).

Hip-

(λ) Loco citato. confer etiam Lib. IV. aphorismorum comment. 36. Item, Libro de rigore, cap. V.

(μ) De curandi rat. per sanguinis miss. cap. I. XII. XIV. XV. XVI. Item Libro, experientia confirmatum præsagium cap. IV. De Sangu. Detract. ex venis. It. De venæ sect. adversus Erasistratum. It. Comm. X. Lib. II. Hipp. de vict. rat. in morb. acut. It. Lib. XIII. Meth. cap. II. & Lib. IV. acutorum com. LXXIII. It. Lib. de constitutione artis.

Hippocratem autem revera ſic ſentiiſſe & *Galenum*, verum ejus & genuinum ſenſum aſſecutum fuiſſe loca docent parallela, inter quæ omnibus, quæ unquam lectitaſſe meminimus palmam præripiunt Lib. I. de morbis cap. XI.

Ξυμφέρει τὴν φλέβα ἀποσχάσαι τὴν ἐν τῇ χειρὶ, τὴν σπληνίτιν καλεομένην, ἢ τὴν ἡπατῖτιν, καθ' ὁποτέρην ἂν εἴη τὸ νόσημα, καὶ οὕτω ἡ ὀδύνη μαλακωτέρη γίνεται τοῦ πλευροῦ τε καὶ τῶν ἄλλων ἡ γὰρ φλὲψ, ὅς ον ἔνι ἐν αὐτῇ χολῆς καὶ φλέγματος, αὐτοῦ δὲ αἵματος ἐνοσηκότος μετὰ τούτων μεθίει τὸ πουλὺ ἔξω.

Huic autem confert venam pertundere in brachiis ſplenitidem appellatam aut jecorariam, aut utram ſane morbus vergit, ſicque dolor lateris & aliorum lenitur; vena enim quicquid in ea eſt pituitæ, & bilis, & ipſius ſanguinis morboſi, unà cum his magna ex parte foras emittit.

Item Sectione ſecunda epidemicorum ſexto, text. XIV. & XIX.

Κατ' ἴξιν καὶ πλευρέων ὀδύνη, καὶ συντάσιες ὑποχονδρίων καὶ σπληνὸς ἐπάρσιες, καὶ ἐκ ῥινῶν ῥήξιες, ὥστε κατ' ἴξιν σπλαγχνικὰ ἐρυθήματα καὶ πλευρῶν ὀδυνήματα κατ' ἴξιν.

Secundum rectitudinem fiunt, laterum dolores, præcordiorum diſtenſiones, lienis tumores, ſanguinis ex naribus eruptiones. It. an-

gi-

ginæ rubores, laterumque dolores ſecundum rectitudinem fiunt. (v)

Verum enim vero, quanquam *Galenus* ἴξιν nec ſubtili nimis, nec metaphorico, multo minus hyperbolico ſenſu, ſed, ut ſupra innuimus, communi tantum & ab omnibus recepto, ſecundum longitudinem parti affectæ proximam intelligeret candideque exponeret; *Arabes* tamen hanc ſententiam evertere anxie moliebantur, dum eundem terminum ſecundum latitudinem & ex oppoſito accipiendum eſſe, viribus omnibus contendebant, ſeque genuinum *Hippocratis* ſenſum inveniſſe, quin & excogitaſſe, inſolentius quam verius jactitabant.

Incredibile dictu, quas turbas poſt *Hippocratem* ejusque fidiſſimum interpretem *Galenum* ſenſus proprius termini κατ' ἴξιν inter ſic dictos *Galenicos* latus dolens ſeligentes & *Arabum ſectatores* latus intactum præferentes, dederit: æque atrociter enim & horride, ac olim Lapithæ cum Centauris pugnarunt, donec tandem ſeculo decimo ſexto, ad *Carolum quintum Impe-*

ra-

(v) Plura loca extant Epid. VI. aph. VII. It. De vict. rat. in morbis acut. II. Text. II. It. IV. aph. LXXVI. in quibus omnibus *Hippocratem* proximum lateri afflicto locum ad evacuandum aptiſſimum cenſuiſſe, perſpicuum eſt.

ratorem, (sic referente *Garnero*) (ξ) lis delata fuerit.

Quo facto, silentium quidem habebatur, sed, cum animis perinde imperare non liceret ac linguis, nihilo secius secum quisque cogitabat & credebat pertinaciter quod placuerat ante quodque mordicus defenderat, ut fit, quando ii, qui de rebus dubiis consultant, nec odio neque ira vacui sunt, quo in casu suum cuique pulchrum, nullo habito respectu ad rei veritatem aut rationem: ut igitur mirum non sit, si neutrum horum assertorum ex certis indubitatisque principiis audacter vel affirmare vel negare quispiam sit ausus, & quantum ego scio, nemo unus adhuc rite indagaverit aut demonstrando ostenderit, quin meris conjecturis & somniis plerorumque rationes consistere animadverterim.

Qui enim cum *Galeno* (ο) ex solo nexu venæ ἀζυγȣ̃ cum cava superiori, quippe utrique lateri communi, morbosi lateris indicationem liquido apparere autumant, me judice plurimum hallucinantur; hac enim minus sufficienti theoria, pleuritidis va-

(ξ) Ad Franc. Rubei Exercit. II.


(ο) Comment. II. in Lib. Hippocratis de victus rat. in morb. acut. in Text. X.

vagæ conditio ne quidem intelligenda, nedum lateris morbosi optio deducenda est; & quantum ad quatuor superiores intercostales venas in subclaviam hiantes pertinet, hæ in lævo quidem latere ita reperiuntur, minime vero in dextro, ubi, ob subclaviæ brevitatem, non in ipsam, sed, ut reliquæ inferiores in ἄζυγον utrique lateri communem abeunt atque terminantur: ut igitur, si pleuritis dextrum obsideat latus, nulla exinde consequentia, ad affecti lateris electionem speranda sit, ut ex Parte hujus tractationis altera, cap. III. syllogismo I. elucescet.

Qui tandem venam mammariam internam (π) ejusque plexus & nexum lateralem cum ramificationibus minimis atque vicinis venæ ἄζυγȣ in auxilium tuendæ theseos, vocavere, scopum non tetigerunt propius, quoniam hæc, gemina licet, & in geminos ac inter se diversos ascendens truncos, (venam cavam superiorem puta, a parte ejus anteriori, si dextra; si sinistra in subclaviam sinistram) tamen hac sui utcunque favorabili directione nullam derivatoriæ venæ sectioni parit prærogativam

(π) *Heurnius* de morbis pectoris cap. II. pag. 42. ex officin. Plantin. 1602.

vam nisi quoad latus sinistrum; quoad dextrum enim, quum, si hujus lateris est, in cavam uti dictum, omnibus communem singulamque immediate desinat, æque ac in præcedente *Galenico* allegato omnis evanescit delectus, quandoquidem hic locorum nulla citior resorptio per ejus plexus cum oppilatis aliis communicantes, quam per aliam, etiam ex sinistro latere prodeuntem & in eundem venæ cavæ superioris truncum se exonerantem venam obtinenda sit.



CAPUT II.

Arabum aliorumque revulsoriæ phlebotomiæ fautorum defectionem exhibens.

SI *Arabum* (α) & recentiorum quorundam *Græcorum* (β) *Latinorum*-*que*

(α) *Avicenna* Libr. III. Fen. X. Tract. V. cap. I. Venet. 1595. *Avenzoar* Lib. I. Tract. XVI. cap. III. *Alsaravius* Tract. XII. part. II. Summ. II. cap. VII. Venet. 1581. *Rhasis* ad Almansor. Lib. IX. cap. LVII. Hagan. 1533.

(β) *Aretæus* Lib. I. de cur. morb. acut. cap. X. *Archigenes* ut Aëtius tetrabibl. II. Sect. IV. cap. LXVIII. refert.

que (γ) ſententiam ſub examinis incudem vocamus, negabant illi maximam partem lateris affecti ſelectum penitus, atque cum *Italorum*, *Hiſpanorum* & *Gallorum* ingenti cohorte pro lateribus oppoſitis ceu pro aris ac focis acriter militabant, omnes formidantes, ne ſanguis ad latus laborans trahetur, imo, ſi venæ ſectio ibi celebretur, pleno fluento rueret; latus intactum potius legendum eſſe eo afferentes, quo materies hærens, ſtagnans, impacta, oppilationem φλεγμονώδη creans e loco affecto in alium, injuriæ opportuniorem *revulſionem* (δ) ſubeat.

Quod autem, quanquam non prorſus ineptum ſit, quin aliqualem veri præ ſe ferat ſpeciem, ut etiam *Foreſtus* (ε) *Hildanus* (ζ), *Valaſco de Taranta* (η), *Joh. Michael Savanorola* (ϑ), *Dominicus Leoanus* (ι), *Jul. Cæſ. Scaliger* (κ), *Galeatius*

(γ) *Cælius Aurelianus* Lib. II. acut. paſſ. cap. XVIII. *Serapion* Tract. II. cap. XXI.

(δ) *Galenus* Lib. II. ad Glaucum cap. VII.

(ε) Lib. XVI. obſ. XXXII.

(ζ) cap. V. obſ. III.

(η) Philonio pharmaceut. & chir. L. III. cap. VIII.

(ϑ) Tract. VI. Pract. magnæ cap. X.

(ι) Attis med. Sect. II. L. II. cap. IX.

(κ) Apotelesmate XII. in comm. Libri Hipp. de Inſomn.

tius de S. Sophia (λ) *Victor Trincavellius* (μ) *Thaddæus Dunus* (ν) *Arnoldus de Villa nova* (ξ), *Sennertus* (ο), *Andreas Turinus* (π), *Baldaſſar Timæus v. Guldenklee* (ρ), *Petrus Petitus* (σ), *Matthæus Peritus* (τ), *Mongius & Coſtæus* (υ), *Joh. Colle* (φ) *Gentilis*, *Jacobus de Partibus*, *Nicolaus Florentinus*, *Thriverus*, *Joacchimus Arnaldus*, *Guainarius*, *Gattinaria*, *Piſo*, *Herculanus*, aliique conſpicui nec poſtremæ auctoritatis viri, ad eorum defecerint ca-

(λ) In Lib. Rhaſis ad Almanſor. cap. LVII Hagan. 1533.

(μ) De vena pleuriticis & aliis qui viſcerum inflammationibus tenentur ſecanda, pag. 996. Francof. ad Moen. 1625. It. De rat. curand. partic. hum. corp. affect. L. VI. pag. 136--141. Lugd. 1592.

(ν) Lib. II. De venæ ſect. cap. IV.

(ξ) Lib. IV. *Breviarii.*

(ο) Inſtit. med. L. V. P. II. Sect. I. cap. XVIII. p. m. 1061. a. b.

(π) Opera Romæ 1545.

(ρ) Caſus medicinales L. II. p. 89 & 93. Lipſ. 1667.


(σ) Comm. p. 242.

(τ) In comm. cap. I. Avicennæ in fen. X. L. III. Tr. V.

(υ) Annotat. ad loc. Avicennæ L. III. Fen. X. Tr. V. cap. I. Venet. 1595.

(φ) Tom. II. Lib. II. cap. VI. pag. 146--147. Piſauri 1617.

caſtra: canoni tamen, quo cito ægrotis, potiſſimum graviter decumbentibus, (ſiquidem morbus eſt peracutus (χ), ſuccurrere & decet & oportet, non exacte reſpondet, quandoquidem ex argumentis, quæ in ſequentibus allaturi ſumus, citius longe & tutius e lateris dolentis parte hoc negotium abſolvi: metum etiam, ne ſanguis, apertura prope locum affectum facta, impetuoſius eo ruat aut fluxio geminetur, inanem eſſe, dilucide conſtabit.



CAPUT III.

Utramque ſententiam amplectentium rationes expendens.

REPERIUNTUR porro qui ſyncretiſmo ſtuduerunt, ut *Joh. Jonſtonus* (α), *Rio-*

(χ) *Hippocrates* de victus ratione in morb. acut. Lib. I. aph. VIII. It. *Apollonius Mys* apud Cæl. Aurel. cap. XIII. It. *Theodorus Priſcianus* Lib. II. cap. IV.

(α) Idea univerſæ med. pract. L. V. Tit. V. cap. II. pag. 398. Amſtelod. 1644.

Riolanus (β), *Cæſalpinus* (γ), *Montagnana* (δ), *Gregorius Horſtius* (ε), *Gordonius* (ζ), *Capivaccius* (η), *Manardus* (θ), *Argenterius* (ι), *Joh. Matthias de Gradibus* (κ), *Fernelius* (λ), *Benedictus Victorius Faventinus* (μ), omnes *Galenicorum* æque ac *Arabum* aſſertum limitando partim, partim ſingulari modo *Hippocratis* divini ſenſum diſtorquendo, partim etiam Arabibus non nihil indulgendo, trifariam animos efferatos ad concordiam & pacem reducere haud inepte tentantes.

Qui enim limitabant, venæ ſectionem quam

(β) Meth. med. cap. XI. pag. 55, 56. Lugd. 1580.

(γ) Lib. VI. cap. VII. pag. 436. Francof. 1605.

(δ) Conſil. 95.

(ε) Centur. problem. medic. θεραπευτικῶν Dec. IV. Quæſt. VII.

(ζ) Lilio medicinæ Part. IV. cap. IX. fol. 205-206. It. De regimine acutorum Part. II. fol. 362. Pariſiis 1542.

(η) Pract. Lib. II. cap. III. Francof. 1603.

(θ) Lib. XII. Epiſtolar. medicinal. Epiſt. V. Baſil. 1540.

(ι) De conſult. rat. cap. XII. pag. 1258. Hanoviæ 1610.

(κ) Cap. LII. fol. 96.

(λ) Cap. V. Meth. med. L. II. Francof. 1581.

(μ) De curat. pleurit. per ſangu. miſſ. Florent. 1551.


quam primum in latere oppoſito ad revulſionem, ſi corpus ſit plethoricum: ſin minus, aut ſi ad claviculam vergat malum, e directo (κατ' ἴξιν) affecti lateris ad derivandum inſtituendam cenſebant; quibus autem geminam ob rationem aſſenſum noſtrum recuſamus: nimirum, quod oppoſitum latus, plethora quamvis præſente, contra phyſicas rationes eligendum ſuaſerint: deinde, quod phlebotomiam, affecti lateris licet, plethora tamen abſente, quod noxium, propoſuerint.

Qui diſtorquebant, terminum κατ' ἴξιν ab *Hippocrate* in longitudinem ſecundum fibras intellectum fuiſſe perhibebant, atque ob id, cum vaſorum fibræ ſecundum longitudinem procederent, venæ ſectionem non brachii affecti lateris ſed pedis ſignificari contra *Galenum* aſſeverabant: Hi vero, ſi ſtructuram vaſorum propius noviſſent, & *Hippocratem*, imprimis quoad loca parallela jam a nobis adducta, diligentius legiſſent, ſecius omnino judicaſſent.

Qui denique indulgebant, venæ ſectionem oppoſiti lateris *in principio* & quando prodromi pleuritidis apparerent, probabant: ſi autem morbus jam inſtaret, phlebotomiam

botomiam dolentis lateris ſuadebant: quorum quidem propoſitum ſponte ſua concidit, quando nimirum morbus ſit peracutus, repente irruens, nullum præmittens nuntium, niſi forte febrim, comitem ejus potius dicendam, præpoſtere huc referre cupias; quæ tamen, ſi etiam exiguo momento interdum præveniat, ambiguum ſane ſignum hujus morbi foret; quandoquidem ſæpenumero nil minus quam pleuritis inſultum febrilem inſequi poteſt: Deinceps etiam cum raro vel nunquam eveniat, ut medicus tam mature atque in ea periodo, ubi morbus adhuc averti queat, accerſatur, (quo in caſu hæc ἀντίστασις prophylactica potius quam curatoria dicenda) nec homines extra forum noſtrum verſantes, multo minus imperitum vulgus, huic morbo frequentius obnoxium, ita tentandum, ut prænoſcendo quaſi futuram pleuritidem, medici opem in tempore implorare debeat, quum ne medico quidem tam certo conſtare poſſit, utrum febriens in pleuritidem recta ſit incaſurus, nec ne: ideo & hæc ſubtilitas exulat. Nam, ſi omnes etiam ad pleuritidem jam adeſſent præparationes, vel leviſſima προφάσις hanc tempeſtatem imminentem facillimo diſſipatura negotio, incidere pot-

eſt, quæ morbum futurum, aut etiam proxime inſtantem nunc prævertat, nunc transmutet: ante morbi ipſius autem præſentiam nulla diagnoſis, multo minus indicatio, nec formanda eſt, neque formari poteſt.



CAPUT IV.

Neutræ ſententiæ addictorum argumenta examinans.

PRÆTER hos autem, quibusdam aliis (α) non adeo religioſis, perinde erat, utrum latus chirurgo eligendum imperarent, modo ſanguinis moles ultra modum urgens

(α) *Felix Platerus* Prax. Tract. II. cap. X. *Williſius* Diatrib. P. II. S. II. cap. IX. *Conſtantinus Lucas* Expoſit. in Avicennæ cap. de phlebot. Ticini 1578. fol. 8 & 11. *Gordonius* Lil. med. Part. IV. cap. IX. pag. 490, 491. Francof. 1617. It. de regimine acut. ægrit. Part. II. pag. 864, 865. ead. Edit. *Ettmullerus* Inſtit. med. P. II. de Pleuritide. *Chriſtianus Johannes Langius* Diſſert. de Pleuritide §. XXVII. aliique.

gens & angens detrahatur, minuatur, vasaque onusta leventur: Rationes eorum si audimus, statim ad febres continentes, synochum simplicem & putridam, causon, ardentes, continuas, acutas, plethoram, animi deliquia, apoplexiam & reliqua confugiunt, ubi posthabito omni & loci & venarum selectu, maxime tumida tantum attendatur, ejusque sectio, promiscue licet celebrata, nihilosecius speratum præstet effectum: Imo, quo nihil eorum, quæ ad suum assertum stabiliendum & firmandum faciant, omisisse videantur, instantiæ loco urgent irritas illas & nugatorias sectiones venæ basilicæ in affectibus jecinoris; cephalicæ majoris quomodo & minoris ad pollicem manus & pedis sitæ, in capitis affectibus; salvatellæ in melancholia & splenis affectibus, (quod commentum jam *Galenus* (β) elusit) saphænæ in mensium obstructionibus, & sic porro, frustra administratis: quæ cuncta argumenta, quantumvis Achillea appareant, mox tamen, si paulo altius inquisiverimus, straminea sunt evasura.

Quoad prius enim manifestum est, adver-

(β) Lib. de curandi rat. per sanguin. miss. §. XIII. in fine & XIV. in medio fere.

verſarios noſtros fallaciam ignorationis elenchi committere: quandoquidem in omnibus illis ſanguinis miſſum promiſcuum indiſcretumque admittentibus morbis venæ ſectionem evacuatoriam quidem, minime vero derivatoriam, de qua nos diſſerimus, indicari vel maxime conſtat; quæ evacuatoria in morbis quibuscunque a cauſa univerſali eademque circumducta & (quemadmodum præmemorati ſatis ſuperque innuunt morbi) per totam ſanguinis maſſam totumque hominem æqualiter diffuſa & diſtributa, proficiſcentibus, ubi nimirum, ut *Celſi* (γ) verba mea faciam, ſanguinis detractio totius corporis cauſa fit, utique valet: at, ubi partialis (δ) & uni tantum loco addicta cauſa exiſtit, non item: Hic enim ſi parti laboranti e loco, quoad ejus fieri poteſt proximo maximeque vicino (ε), ſuccurrimus, ſatius omnino convenientiusque actum eſſe, quem præterit? (ζ) ſiquidem non ad febrim pleu-

(γ) Lib. II. cap. X.

(δ) *Fridericus Hoffmannus* Diſſert. de compendioſa & clinica inflammationum praxi cum cautelis, mox in præfamine.

(ε) *Celſus* loc. cit.

(ζ) *Galenus* de curandi rat. per ſangu. miſſ. in principio inquit; *Haud parum intereſt, hanc ne an illam incidas.*

pleuriticam, utpote ſymptoma (η), minuendam aut extinguendam: ſed potius, ad ſtaſin & obſtructionem, ut infra clariſſime dilucebit, in pleuræ & pulmonum vaſis hæſitantem, ſanguinisque curſui remoram & ἀμετρίαν creantem, quantocyus tollendam, animum intendimus: atque id quidem per venæ dolentis lateris, tanquam huic proximioris, inciſionem (ϑ) ſanguinisque miſſum partialem, technico plane termino derivatorium dictum, quam optime fieri, conſtans obſervatio eſt.

Quoad poſterius, nimirum venæ ſectiones

(η) Hinc *Galenus* Lib. IV. Prælect. in aphor. Hipp. LXXIII. pleuriticos κατ' ἐξοχὴν non dici febrientes, recte monuit.

(ϑ) *Galenus* comm. IV. in Aph. II. *Sanguis non æqualiter in venæ ſectione evacuatur in corpore.* It. comm. II. in Lib. Hipp. de victus rat. in morb. acut. T. X. It. de curandi rat. per ſanguin. miſſ. §. II. & XIV. *Evacuationes undecunque fiant, in univerſum animalium corpus diſtribuuntur, licet non æque celeriter, neque ſimiliter ex omni vena.* It. Libro de conſtitutione artis. *Actuarius* L. III. Meth. med. cap. I. in fine. *Alexander Trallianus* L. IV. cap. I. de angina finem verſus. *Annibal de Nicolinis* Peruſiæ 1591. *Lazarus Riverius* eam ob rem in omnium partium infra renes poſitarum affectibus, e venis inferioribus phlebotomiam inſtituendam eſſe cenſet. Pr. med. L. XIV. cap. IX. de Dyſuria. *Trillerus* Lib. cit. cap. II. §. XXXI.

nes illas partiales exoletas & abſurdas, convellimus hanc inſtantiam, ſubjecto eandem non ſubeſſe oſtendentes, quandoquidem ea, utpote a ſuperſtitione petita, huc nullatenus quadrat, nec ad contrarium demonſtrandum apta eſt, nobis non iſtius modi futilibus & frivolis hypotheſibus, ſed rationibus operam dantibus iisdemque pugnantibus.

Cum autem ſemel exemplis hic agitur, inſtemus quoque a partialibus venæ ſectionibus & quidem cum εὐφορίᾳ celebratis, magisque rationi conſentaneis, quales ſunt: *venæ frontalis & temporalis* (ι), *in mania, cephalalgia, ophthalmia, epiphora & ægilope: venarum raninarum* (κ) perinde atque *jugularium* (λ), in *angina inflammatoria, ſynan-*

(ι) *Galenus* de curandi rat. per ſangu. miſſ. §. XVIII. *Felix Platerus* Pr. T. II. cap. IV. *Williſius* loc. cit.

(κ) *Hippocrates* de vict. rat. in morb. acut. IV. 30. *Paulus* de re medica L. III. cap. XXVII. *Albucaſis* Arabs L. II. Chirurgiæ. Argentorat. 1544. *Chriſtoph. a Vega* L. III. de art. med. cap. XX. *Ludov. Mercatus* cap. XIV. L. IV. *Rondelet* cap. de paralyſi linguæ. *Richardus Mead* monita & præcepta med. cap. IV. Hamburgi 1752.

(λ) *Aëtius* tetrabibl. II. S. IV. cap. LXVIII. *Oribaſius* ſynopſ. IX. cap. VII. *Alexander Trallianus* L. VI. cap. I. *Actuarius* L. III. de Meth. med.

synanche & *parasynanche*, item & *odontalgia* (μ) *venarum jugularium in cephalalgia* (ν) *ophthalmia* (ξ) & *lethargo* (ο) *venarum pone aures in vertigine* & *hemicrania* (π); *venæ humeralis in gravissimis oculorum doloribus* (ρ) *sectio*; *venarum narium* cum setis equinis, aut instrumento nuper invento, ad sanguinem proritandum irritatio-

med. cap. I. finem versus. *Soranus* Ephesius in Isagoge cap. XXI. *Nonus* cap. 129. *Jacobus Carpus* in Isagoge anat. cap. I. Argentor. 1528. *Paulus Magnus* Lib. de phlebotomia idiom. ital. scripto. *Ludov. Mercatus* meth. med. cap. XIII. *Prosper Alpinus* de medicina Aegyptiorum, cap. IX. *Job. Stephanus* in Hippocrat. de struct. *Cæsalpinus* L. II. quæst. med. cap. XII. *Zacutus Lusitanus* Hist. med. princ. L. I. Hist. 76. *Goveus* Chirurg. pag. 274. *Freind* Lib. epidem. *Rondelet* meth. medendi. *Tralles* de Venæ sect. 1735. *Hoffmannus* med. system. Tom. IV. P. I. Sect. II. cap. IV. de Angina, sub Tit. cautelæ & observationes clinicæ. §. I. Francof. ad Moen. 1738.

(μ) *Hoffmannus* Tom. cit. P. II. Sect. II. cap. IX. sub titulo cautelæ & observationes clinicæ. §. IV.

(ν) *Willisius* loco citato.

(ξ) *Hildanus* Cent. IV. obs. XIII.

(ο) *Willisius* de lethargo.

(π) *Albucasis* Arabs loco citato.

(ρ) *Galenus* de curandi rat. per sangu. miss. cap. XIV. It. *Aëtius* tetrabibl. I. Serm. II. cap. XII.

tio in *cephalalgia* (σ) venæ *angularis* in *induratis phlegmonorum reliquiis in oculis* ἐγκανθίδα dictis (τ) item in *inflammatione oculorum:* (υ) *venarum in nucha* in *lethargo* (φ) *venæ cruralis* in *uteri inflammatione* (χ) *venarum in talo* aut *poplite menſium difficultate urgente* (ψ) itidemque *gravida-*

(σ) *Hippocrates* loc. cit. aph. X. *Joh. Michaelis* Pr. clin. ad Jonſtoni ideam comparata. P. I. L. II. cap. I.

(τ) *Galenus* loc. cit. §. XVIII.

(υ) *Dionis* Chirurgia pag. 494. Edit. II.

(φ) *Morgagni* adverſ. anat. VI. Animadverſ. 83.

(χ) *Galenus* de curandi rat. per ſang. miſſum. §. XVII.

(ψ) Idem loco cit. It. *Joh. Langius* Leobergius Epiſt. X. Non neſcimus a *Mauritio Hoffmanno* in notis ad Hartmanni praxin chymiatricam cap. 219. pag. 806. *Riverio* Cent. I. obſ. II. & *Amato Luſitano* Curat. med. Cent. VI. obſ. 28. in menſium ſuppreſſione brachii venam cum ſucceſſu fuiſſe electam, ſed omnes, quos adduxere caſus, plethoram arguunt, minime vero obſtructionem quandam partialem. Et quantum ad Riverii attinet obſervationem, quod mulieri cuidam temperamento ſanguineo præditæ, toties cohibita fuiſſe menſtrua, quoties vena malleoli ſecta fuerit; contra, ſanguine ex vena brachii emiſſo, eadem largius profluxiſſe, referat, rationem non æque in ſelectu venæ, quam ſenſibilitate ſubjecti quærendam eſſe, nemo non videt. Siquidem ſenſibilitas talis ſi juſto major exiſtit, ſpaſmodicos effectus a partibus inferioribus ad uterum usque excitare poteſt:

darum varicibus & *lochiorum ſuppreſſione* (ω) *vaſorum hæmorrhoidalium* apertura (non raro ſpontanea) in *melancholia* (α) & ſic porro.

Quas partiales ſanguinis detractiones & derivationes levamen exoptatum ſequi, inter omnes convenit, earumque rationem ex nexu & conjugio vaſorum dependere, omnis anatomicæ rei peritus mecum fatetur.

Quamvis autem hæc omnia ita ſe habeant, atque tam clara & perſpicua ſint, ut ſane, niſi ſoli facem accendere velimus,

eſt: novi enim homines adeo ſenſibiles, quibus præ terrore, ex ſenſu inſtrumenti tundentis concepto, ſanguis, non obſtante foramine ſat amplo, penitus conſtitit, donec rurſus ſe collegerunt: ab eo igitur quod interdum fit, quodque paucis accidit ad omnes concludere, abſurdum, cum a potiori denominatio fiat.

(ω) *Fridericus Hoffmannus* Diſſertat. compendioſam & clinicam praxin inſtammationum tradente cum cautelis, finem verſus.

(α) *Hippocrates* aph. XXI. Sect. VI. *Galenus* comm. IV. in aph. XXV. Plura lege apud *Fernelium* meth. med. L. II. pag. 46. Francof. 1581. It. *Schol. Salernit.* cap. CIII. cum exegeſi doctiſſima *Arnoldi Villanovani* Aug. Vindel. 1753. It. *Leonardum Botallum* loc. cit. It. *Balth. Lud. Tralles* de vena jugulari frequentius ſecanda commentat. Wratisl. 1735.

mus, nihil amplius deſiderandum reſtet: nec eo ſecius dubitatio quædam, non inſuper habenda ſuboritur, & quidem ratione reſorptionis ipſius, quam adeo citam & momentaneam, ac nos in parte proxima exantlata fieri perhibuimus, non ſuccedere, quidam haud incelebres ſtatuunt, dicentes: *omne id, quod deficiat in parte* (per venæ ſectionem intellige) *carere etiam in toto:* adeoque & hanc ipſam ſanguinis pleuritici educti quantitatem, cum cordi atque arteriis, *intuitu affluxus minutioris*, decedat, non minus venis, abinde immediate dependentibus, quin toti corpori, *æque* deceſſuram eſſe, quando vim cordis atque arteriarum æqua vi, uti notum eſt, per omnes partes, ſuam in ſanguine diſtribuendo exerere efficaciam, certo conſtet: naturam etiam, quæ *partium agentium harmonia* eſt, dum plenitudinis legitimæ amiſſæ perpetuo geſtiat reſtitutionem, non ad partem vacuam & exantlatam adeoque & egentem, privatim reſpiciendo, ſed omnibus aliquid, propter diſtributionem nunc parciorem exiſtentem, carentibus, quo minus egeſtas cujusdam partis & annona alicui earum ſenſibilis & moleſta exiſtat, jacturæ damnum reſarcire, neminem lateat: con-

feſtim

festim ergo, licet minus sensibiliter, deficere in toto, quo caruerit pars.

Spatium porro in venis quibusdam exantlatione tali factum, per alias, easdemque amplioribus seu parallelis & cylindraceis anastomosibus secum connexis, momento, antequam etiam oppilatio φλεγμονώδης in minimis angustioribus hærens, proruere queat, & quidem primo statim circulo absoluto, quantum fieri possit & massæ sanguinis residui quantitas concedat, vicissim repleri statuunt: hisque ipsis in auxilium surrogatis parallelis vasis, quum celerior resorptio (ut nos asserimus) in parte exantlata quam in alia non detur, *exantlatio* etiam ob repentinum ex parallelis vasis affluxum *minus sensibilis* evadat: non nisi tum demum, quando *omnibus in vasis* linea circiter plenitudinis pristinæ per totum corpus *æqualiter* decesserit, materiam hærentem post frequentes sæpiusque repetitos circulos sensim paulatimque elui & e loco moveri asserunt, atque venæ sectionis promiscuæ præsidia se invenisse autumant.

Sed enim vero, si mecum reputo, nihil deficere in toto, quod non prius defecerit in parte: cordi autem totique reliquo corpori tali venæ sectione nihil dece-

de-

dere; quod non prius axillaribus & ſubclaviis, loco affecto propioribus, deceſſerit, ergo etiam in eis, per venas a pleura aſcendentes maximeque vicinas, reſorptionem ante fieri quam toti aliquid defecerit corpori, in confeſſo luceque clarius eſt (β). Porro, ne tum quidem, quando cor, jacturam amiſſi ſanguinis, jam perſentiſcat, atque nunc etiam minorem ſanguinis copiam, in totum projiciat corpus, ſequitur, venas exantlatas cum reliquis, talem mutationem non paſſis, æqualiter participare: primo, enim, ſanguis *æqualiter quidem per cor in corpus diſtribuitur. ſed non æqualiter per venæ ſectionem evacuatur* (γ), quod ſane attentionem meretur; indicat enim, parti exhauſtæ non ſtatim uno ſanguinis circuitu, qui brevi & quidem ante horæ quadrantem, imo in febricitantibus dimidio citius, ſphæram ſuam abſolvit, jacturam factam reſtitui; ſed crebrioribus repetitionibus & aliquoties reiterato ſanguinis circuitu, pro co-

(β) Hinc *Annibal de Nicolinis* omnem venam evacuare totum, ſed unam citius altera, recte ſentiit. Peruſiæ 1591.

(γ) Quod jam *Galenus* novit, comment. IV. in aph. II. Item de curandi rat. per ſangu. miſſ. §. II. & XIV.

copia relicti & superstitis laticis hujus, vacuum repleri.

Si enim consideramus tot myriades vasorum innumerabiles, eorumque in gyros & flexuosissimos orbes distorsiones atque convolutiones stupendas, quibus etiamnum accedit sanguinis diathesis præternaturalis, viscedine insigni peccans, crassior, quæ, antequam rursus corrigatur rariorque reddatur, non confestim talem ut par est, per omnia, subtilissima præsertim vasa, æqualem sui admittit distributionem, multos sane circulos habet sustinendos, antequam huncce indipiscatur statum.

Secundo, obex in arteriis patientibus præfixus, non obiter attendendus est, hic enim, cum tam prompte locum, in quo incarceratus hæret, mutare non soleat, liberiorem per arterias in venas exantlatas sanguinis transitum, quo ipso alias, plenitudo æqualis momento restitueretur, non nisi ægrius segniusque succedere sinit.

Venas tandem quod attinet, anastomosibus amplioribus, seu cylindraceis, cum dictis exantlatis connexis, sciendum, tales raro vel nunquam in pectoris clibano observari, quamvis aliis in locis, & præcipue infimo ventre & extremitatibus sat con-

conſpicuæ animadvertantur: & ſi etiam una vel altera, quoniam ſubjecta variant, interdum adeſſet, eæ ſolæ ad implendum, & quidem tanta copia, ut obex ad loci mutationem, id eſt, reſorptionem cito diſponi nequeat, ob rationes ante adductas non ſufficerent.

Aequilibrium ergo fluidorum, tam cito, ut reſorptionem prævertat, non recurrere, quin dicam, per longius temporis ſpatium penitus deeſſe poſſe, præter innumeros alios morbos, ſolæ viſcerum obſtructiones, multos annos durantes, vita tamen & ſanitate mediocri ſuperſtite, luculentiſſimum nobis exhibent indicium: quid? quod pulſus utriusque carpi non convenit ſemper in eodem ægro, ſed, qui fortaſſe hoc in latere laudabilis & conveniens eſt, in altero deprehenditur peſſimus (δ)? Quæ cuncta, æqualem fluidorum per totum hominem, ad omnes partes diſtributionem plane diſſolvunt.

Non deſunt porro, qui mechanicis rationibus ſeducti, venæ ſectionem, quoad locum eligendum, promiſcuam, extra om-

(δ) Videatur *Ol. Borrichius* in Act. Hafn. Ann. I. obſ. 68. & *Joh. Schmidius* in Ephem. germ. Ann. IX. obſ. 61.

omnem fortunæ aleam positam esse autumant; quando nimirum per eandem nihil aliud quam vim vitæ auctam, resistentia præter modum excedente ablata, obtineri censent: eoque ipso, quum ubique locorum præstari queat, omnem & loci & venarum selectum penitus abrogatum iri sibi & aliis persuadent.

Fundamentum quo nituntur sequens est lemma:

Posita eadem vi movente, celeritas motus tanto major est, quo minor est resistentia.

Quod quidem quam speciosum alias dictu sit, imo & quoad mechanicen verissimum, mihi tamen & in genere omnibus, qui eclectice philosophantur, omnino non satisfacit: siquidem ad microcosmum, (ut plerumque fit si ab inanimatis ad animata usque consequentias formamus) semper minus minusque quadrat: hic enim si unquam legibus mechanicis & præsertim hydraulicis obtemperare videtur, id sane illi ex improviso accidit, nec nisi præconceptæ opinionis perspicillo videntibus ad easdem se componere apparet; quam ob rem etiam circulos eorum, quoties abludit, mirum quantum turbare solet

let (ε). Quemadmodum & hic in ſtatu plethorico ſi ad vires nempe exiſtit, aliquid hiſce ſanctionibus analogi accidere videtur, quod nempe vires vitæ ante oppreſſæ, beneficio venæ ſectionis recurrant viciſſim, aut, ſi cum *Roderico a Fonſeca* (ζ) loqui licet, corpus per venæ ſectionem levata natura reſipiſcatur.

Quam theoriam vero, ſi ulterius extendere animus eſt, mox contrarium contingere animadvertimus in febribus ab ipſa plethora ortis, inflammationibus, obſtructionibus, viſcerum, alvi, menſiumque, ſpaſmis, paſſione hyſterica, animi pathematibus impetuoſis, furore uterino, flatuum tenſionibus aliisque vaſorum preſſionibus; quin & ipſo ſanguine polypoſo, ubi, mirandum dictu! ipſam reſiſtentiam celerioris motus incitamentum potius quam impedimentum diceres, adeo, ut vim cor-

(ε) Confer *Platnerum* in Chirurgia idiom. germ. reddita T. II. §. 1327. & Schol. Lipſ. 1749. *Richardum Mead* Libr. cit. introduct. pag. 5. It. *De Gorter* in Præf. ad Exercitat. & in præfat. ad Pr. med. Syſt. T. I.

(ζ) De ſanitate tuenda cap. XXVII. pag. 165. iu fine, Francof. 1603. It. *Oribaſius* Synopſ. L. IX. cap. XLVI. *Actuarius* de meth. med. L. III. cap. I.

cordis atque arteriarum a resistentia æquilibrii limites transcendente nullatenus superari aut supprimi, sed potius excitari magis & augeri diligentiores diligentissime observarint, cujus vel luculentissimum indicium pulsus concitatior & cordis palpitationes rebelles præmemoratorum morborum individui comites, nobis exhibent (η).

Nec est, ut ad salia, cor ad crebriores motus & ictus exstimulantia confugias, quandoquidem hæc in plurimis ante adductis affectibus non modo parciori quam par est occurrant copia, sed & suo agendi modo cum sanctionibus mechanicis nullibi concordant: non enim pondere & resistentia, sed stimulo & irritatione, ut omnia volatilia solent, suas exerunt vires, nec alia præter animata afficiunt & in motum celeriorem crebrioremque agunt corpora, inanimata vero intacta relinquunt: quocirca etiam omnia cum his instituta atque ad illa applicata parum sane valebunt experimenta, quum utraque ex principiis plane oppositis agant, ut præfati abunde nos docent morbi.

Quod si ergo mechanica *Hambergeri* alio-

(η) Confer *Platnerum* L. c. T. I. §. 4. & 35.

aliorumque doctiſſimorum dogmata, in ſuo genere plane demonſtrativa, adverſus nos vertere quisquam tentet, & præſertim ex *Diſſertatione ejus, de venæ ſectione quatenus motum ſanguinis mutet* (ϑ), aliquid in nos conjiciendum extorqueri putet, non diu pugnabit; quandoquidem ea omnia, utcunque vera, ſcituque maxime neceſſaria, partim, ob rationes ante allegatas, partim etiam, ob ſtatum, quem innuunt, fluidorum mere univerſalem, ad nos non attinent; illiusque ſanguinis definitiones ad noſtrum objectum, quod partialem corporis ſiſtit affectionem, nulla ratione aptandæ, neque etiam ea, quæ ibidem §. XXII. & XXX. extant, huc, niſi forſan obtorto collo trahenda erunt, ſiquidem nullum prorſus involvunt ſtatum inflammatorium: ſed potius venæ ſectionem omnem, ſanguine ſpiſſo & viſcido, ut pleuriticus eſt, copia non excedente, vetant, quum iſte, ob *cauſarum reſolutionis remotionem*, id eſt, virium vitæ imminutionem, in majorem abinde conjiciatur viſcedinem & immobilitatem: Neque, ſi etiam idem ille copia excederet, eandem permittunt, tantum enim abeſt, ut, ſe-
cun-

(ϑ) Jenæ habita 1737.

cundum dogmata §. XVI. XXX. XXXV. XXXVI. extantia, motus cordis & arteriarum venæ ſectione minuatur, (quod tamen in hoc ſtatu requiritur) ut non potius augeatur; *poſita* enim *eadem vi movente, celeritas motus tanto major eſt, quo minor eſt reſiſtentia.*

Exulant ergo penitus, quando, ſi ad ſtatum corporis pleuriticum applicari poſſe quis autumet, ob præmemoratos indicationi plane adverſos effectus, venæ ſectionem omnem contra indicant potius, quam ut indicent. Nos vero *primarium* noſtrum eſſe volumus ſcopum, ſpatium, in venis afflicto loco proximis, ad resorbendum, venæ ſectione procurare: *ſecundarium*, refluxum ſanguinis ad cor, quadantenus minuere, quo fluxus ejusdem, qui in arteriis continuo celebratur, violentior, in locum affectum nimium allidens & inflammationem magis magisque irritans exacerbansque, cicuretur, eoque ipſo, medicus, aliis remediis congruis & interne exhibendis, placide ac tuto agere queat.

Hæc autem in decumbentibus revera ita accidere facile neminem, niſi eum, qui in theoria parum ſe profeciſſe: in praxi, plane nihil didiciſſe nos docere cupiat, inficias

ficias iturum eſſe, ex capite tertio ſecundæ partis apertiſſime inclarebit, quando in illum usque locum indicationis demonſtrationem diſtulimus.

Superſunt tandem αἱμοφωβι, quæ progenies phlebotomiam omnem cane pejus & angue averſatur, quales fuere olim *Chryſippus Cnidius*, *Medius*, *Strato*, *Ariſtogenes*, *Eraſiſtratus*, aliique, abſtinentiam & inediam ejus in locum commode ſubſtituendam putantes, quod quidem cæteris paribus ſuum tuetur locum, in morbo autem peracuto, ubi celerrime ſuppetiæ ferendæ ſunt, citumque levamen exigitur (ι), tali methodo, quantum mea fert opinio, nimis cunctanter opitulatum itur.

Adſtipulantur hisce, & quidem impenſius quam exigitur, ſic dicti Adepti & per ignem philoſophi (κ), utplurimum in paraſitos & ciniflones deſinentes, qui nempe venæ ſectionem non modo repudiant, ſed & diris imprecationibus & calumniis ut exitialem hominibus indiscriminatim damnant, devorent atque deteſtant, ean-

(ι) *Hippocrates* de vict. rat. in morbis acutis Lib. I. aph. VIII.

(κ) Ut *Helmontius* de febribus cap IV. It. Tr. Pleura furens, aliique congeneres.

dem lacerationem venarum crudelem itentidem appellitantes, pariterque convitia, maledicta & quæcunque demum agreſtis eorum rhetorica ſuppeditare valet ſcommata, adverſus ejusdem propugnatores evomunt: Blas vitale & Gas, Archæum ira furentem, quem ipſi ſoli, veluti forſan Medea draconem colchicum, benedictis arcanis ſopire ſciant, cauſam hujus morbi arguentes.

Verum cum ego ſim ex iis, qui canere inter adeptorum oracula non poſſunt, hī autem, faſtuoſo ſupercilio magna & inſolita ſemper crepantes, ſpagyricis argumentis & armis pugnent, anatomiam & phyſiologiam, quin omnem methodum medendi rationalem contemnant, merito ſuæ ſorti relinquuntur, quando contra negantem principia non ſit diſputandum.





PARS II.

DE VENAE SECTIONE IN PLEURITIDE SPECIATIM.



CAPUT I.

Pleuram anatomice & physiologice sistens.

PLEURA, ἀπὸ τῆ πλευρῶν, sive costis (α), sic dicta, est membrana densa, firma, albicans, peritonæi substantiæ admodum similis (β) duplex, facie qua viscera spe-

(α) Dicitur etiam ὑπεζωκὼς membrana a *Diocle*, *Erasistrato*, *Asclepiade*, eorumque asseclis, eo, quod latera & interiora cingat. *Cæl. Aurelianus* Lib. II. acut. pass. cap. XVI.

(β) *Andreas Laurentius* Lib. IX. cap. V.

ſpectat craſſior, tenuior qua coſtas, inter utramque laminam vaſa omnis generis excurrentia poſſidens, internasque pectoris cavitates & pulmones in illis contentas nec non diaphragma, quoad ſuperficiem pectoris cavum ſpectantem, obducens, madensque, ne organon πνεύματος & αἵματος a thoracis oſſea & ſolida ſtructura male afficiatur.

Arterias accipit in utroque latere, a duodecim intercoſtalibus, quarum ſuperiores tres, non raro quatuor, a ſubclaviis vel cervicali, inferiores octo a poſteriori parte, ſubinde etiam omnes duodecim, trunci deſcendentis arteriæ magnæ naſcuntur: quibus accedunt plexus thoracicæ inferioris atque ſcapularis internæ, ex axillari prodeuntium.

In totidem quoque intercoſtales ſuas emittit venas, quarum lateris dextri omnes in venam ἄζυγον; lateris vero ſiniſtri duæ, tres, interdum quatuor, ſuperiores, in eandem ſubclaviam, reliquæ inferiores non minus in venam ſine parī ſeſe effundunt, quæ vena ἄζυγος interdum in ramulis anterioribus aortæ, interdum venæ cavæ bifurcatæ ad renes, interdum venæ adipalis vel etiam ipſis emul-

gentibus incipit (γ), & in venam cavam ſuperiorem terminatur: accedunt & hic anaſtomoſes venæ thoracicæ inferioris pariter atque ſcapularis internæ in ſuas axillares ſe exonerantes.

Per viciniam & nexum qui pleuram inter & pulmones eſt, vena ἄζυγος recipit venæ bronchialis dextræ ramos & ſanguinem: quæ vena bronchialis autem in anaſtomoſibus ultimis per pulmonum ſubſtantiam diſtractis, arteriæ bronchialis, nunc ex aortæ trunco, nunc ex intercoſtali ſuperiori, vel etiam œſophagea (δ) egredientis, incipit; ſiniſtra autem bronchialis vena ad ſubclaviam, tanquam ſibi proximiorem, ablegatur.

Eodem pacto in utroque latere anaſtomoſes ſubtiles arteriæ mammariæ internæ (ε), ex ſubclavia orientis, cum vena ejusdem nominis, & quidem dextra, immediate in venam cavam ſuperiorem: ſiniſtra, in venam ſubclaviam ſiniſtram laticem purpureum effundente, pleura fovet,

(γ) Ut *Ludovicus Septalius* curat. med. Lib. VII. pag. 175. & *Euſtachius* Tabula IV. annorarunt.

(δ) *Winſlow* Expoſition Anatomique Traité des Arteres, No. 109. pag. 373.

(ε) Quod jam *Galenus* obſervavit Libr. de Venar. & arteriar. diſſect. §. VI. & VIII.

vet, ibi locorum, ubi coſtæ veræ in ſterni latera inſeruntur, paulo tamen poſt apophyſes earundem cartilagineas.

Porro mediaſtina utriusque lateris aut ex arteria ſubclavia aut mammaria interna egrediens, capillaria ſua diſſeminat per pleuram mediaſtinum ſiſtentem, iisdemque communicat cum venæ eodem nomine gaudentis ultimis ſubtiliſſimisque apicibus, quæ, ſi dextræ laminæ mediaſtini eſt, in partem venæ cavæ ſuperioris anteriorem, mox ſub inſertione venæ ἀζυγȣ: ſi lævæ laminæ, in ſubclaviam ſiniſtram immergitur.

Præter hæc exiſtunt etiam mediaſtini poſtici arteriæ (ζ) ex intercoſtalibus prorumpentes, & venæ ejusdem nominis in ἄζυγον ſibi propinquam abeuntes (η).

Nervorum quoque non minus inſignem oſtendit copiam, qui omnes a ramificationibus anterioribus medullæ ſpinalis & intercoſtalis nervi dependent.

Supereſſent tandem ejus pleuræ partis, quæ diaphragma, (qua pectus ſpectat) tegit atque inveſtit, vaſa commemoranda,

(ζ) Legatur Excell. *Hebenſtreitii* Programma de mediaſtino poſtico. Lipſ. 1743.

(η) Confer *eundem* ibidem pag. IV. IX. ad X.

da, verum cum eorum inflammationes morbum alium, ab *Hippocrate* (ϑ), *Galeno* (ι), *Aegineta* (κ), *Tralliano* (λ), Φρενῖτιν: ab aliis παραφρενῖτιν dictum creent gignantque, noſtrum non eſt, eorum hic ſuſcipere examen.

Hæc vaſa adducentia & abducentia pleuræ cuncta, ramulis exiliſſimis iisdemque copioſiſſimis per totam ejus ſubſtantiam atque tractum diſſeminata, mire inter ſe irretiuntur, involvuntur & implicantur, anaſtomoſibus etiamnum innumerabilibus reciproce inſeruntur terminanturque ibi locorum, ubi præ exilitate & proin diametri anguſtia flumen purpureum ſanguinis non amplius admittunt, ſed potius tenuiſſimum & lymphæ nomine venientem liquorem vehunt, cujus ex abundantia legitima alitur pleura ſuſtineturque & mador tam neceſſarius illi conciliatur.

(ϑ) De Morbis Lib. III. cap. IX. Charter. Tom. VII. pag. 586.
(ι) De locis affectis Lib. V. cap. IV. Chart. T. VII. pag. 488.
(κ) Lib. III. cap. VI. pag. 28.
(λ) Lib. I. cap. XIII. pag. 45.

CAPUT II.

Pathologiam pleuræ exhibens.

QUIS, itaque eſt, quin intelligat, glandularum exemplo, quibus nihil magis ad ſtaſes proindeque etiam obſtructiones triſtes atque funeſtas inclinat, ob vaſorum minutiſſimorum ſubtilitatem, convolutis anaſtomoſibus ſuis nodum gordium (extra jocum) repræſentantium; id qnoque, & quidem æque facile, æque celeriter, evenire poſſe in hisce ſubtiliſſimis copioſiſſimisque ſibi invicem (veluti dixi in antecedentibus) irretitis ac implicatis anaſtomoſibus vaſorum, diametri anguſtia haud illis cedentium: atque id quidem tanto frequentius, quanto plus refrigerii injuriis ac invaſionibus ob reſpirationis negotium præ ceteris obnoxia ſunt (α).

Cum ergo ad ſtaſes ſuſcipiendas prædicta

(α) *Hippocrates* I. de morbis.

dicta adeo commoda & proclivia ſint vaſa: ſi ſanguinis διάθεσις viscida (β) & immeabilis, quam *Sydenhamus* (γ) κατ' ἐξοχὴν dicit pleuriticam, a cauſa quacunque, ſeu forinſecus inducta, ut victus crudior, viſcidus, craſſior, impurus, dyspeptus, aromatibus conditus, ſalitus: potus laudabilior (δ), oleoſus, ſpirituoſus, & quæ his ſunt gemina: ſive intrinſecus nata & producta, ut plethora, catameniorum inordinatus aut juſto parcior fluxus (ε), vel etiam ejusdem ob ætatem emanſio atque ſilentium, polypoſæ concretiones (ζ), humidi & motus defectus, & ſic porro, concurrat, cauſa deinde oc-

ca-

(β) Confer *Auguſti Quirini Rivini* Diſſertationem prorſus ſingularem de Aſthmate §. 2. It. *Frid. Hoffmannum* Diſſ. de compendioſa & clinica inflammationum praxi, cum cautelis, de peripneumonia obſ. I.

(γ) Obſervat. medic. circa morborum acutorum hiſtoriam & curationem Sect. V. cap. II. It. Sect. VI. cap. III.

(δ) Ut *Boerhavius* & *Suietenius* Tom. II. ad aph. 824. It. *Trillerus* Lib. cit. cap. I. §. 10. pag. 12. egregie docuerunt.

(ε) Confer *Hoffmannum* Med. Syſt. T. IV. P. I. Sect. II. cap. V. obſ. IV.

(ζ) *Malpighius* de polypo cordis pag. 170. Confer etiam *Williſium* de febribus cap. XI. p. m. 130. It. *Peyerum* exercit. anat.

caſionali accedente levi, coagulationem creante, ut ſubita potus frigidi, glacialis, æſtivis præcipue menſibus, ingurgitatio, refrigerium durante corporis ſudore, critico præſertim, aut etiam διαπνοὴ Sanctoriana auctiori (η) tantum, repente cohibita, terrore vel ira ingenti (ϑ), contuſione, a lapſu vel ictu (ι), pectoris, curſu nimio, vita ſedentaria, ἔμφραξιν talem & oppilationem φλεγμονώδην confeſtim naſci, facile emergit.

Quale quid etiam in variolis ac morbillis, a ſtultis & medicaſtris ſtulte tractatis, dyſenterico fluxu cohibito, ſcabie retropulſa (κ) purpura chronica ob frigus externum retroceſſa, metaſtaſi infauſta productum, in praxi aſſidue obſervavimus & annotavimus (λ) neque minus ex metaſtaſi febrili & catameniorum ſuppreſſione

(η) *Frid. Hoffmannus* Diſſ. cit.

(ϑ) Confer exempla quæ Illuſtr. *Swietenius* T. II. comment. ad aphor. *Boerhavii* jam allegatum narrat.

(ι) *Celſus* Lib. IV. cap. VI. *Talentonus* Lib. IV. recondit. rer. cap. I. pag. 575.

(κ) Quod etiam a *Sennerto* Pr. Lib. II. P. III. cap. VI. exaratum legimus.

(λ) Legi poſſunt exempla prorſus ſingularia apud *Hoffmannum* Med. Syſt. T. IV. P. I. pag. 428. & ſequ.

ne idem factum *Sydenhamus* (μ) & *Forestus* (ν) sunt auctores.

Verum enim vero in plexubus venosis ἐμφραξιν generari, affirmare nefas, propter mechanismum stasin omnem prohibentem; quandoquidem ex physiologicis constat, venas conos exhibere inversos, in queis liquida directione sui motus a vertice basin versus ascendunt: si ergo stagnantes moleculæ, angustum illorum verticis ostium semel transierint, nihil obstat quo minus & reliquas canalis sectiones semper ampliores fauste subire, & lateribus plus plusque divergentibus, cum non amplius sustineantur, feliciter evadere queant.

At in arteriis, ubi fluida a basi apicem versus festinant, eorumque moleculæ sphæricæ angustiorem coni sectionem continuo incurrunt (ξ), si accedit prædicta διάθεσις, nil requiritur amplius, quam refrigerium aut animi pathema quodcunque, gradum spissitudinis exaltans, ut terror, ira, moeror, res confecta erit; in

(μ) Sect. VI. cap. III. p. m. 250. It. Sect. V. cap. V. pag. 216.

(ν) In schol. ad obs. 32. Lib. XVI.

(ξ) Legenda *Archibaldi Pittcarnii* Diss. de circul. sanguinis in animalibus genitis & non genitis. pag. 107, 108, 109.

in ultimis enim anguſtiſſimis convergentis canalis luminibus hæret, fluidumque a tergo ruens & urgens, (quandoquidem vis cordis puncto cuivis ἐμφράξεως applicatur,) ſtagnantes moleculas in anguſtiora prioribus continuo trudit loca in eaque inculcat & eo ipſo obſtructionem adauget.

Nunc in apicibus arterioſis ἔμφραξις hæret, vi cordis atque arteriarum indeſinenter urgente, allidente; ab altera parte, ſanguine venoſo ſubſidente (o), (difficilius enim ſegniusque ob motorem impeditum, nunc movetur,) materia ſtagnans denſior, compacta, non quidem ac ſi dura ſilex eſſet, ſed tenacior duntaxat ceu ad removendum difficilior reddita, in obicem perfectum abit.

Quid fit, obice poſito in lymphatico ſyſtemate ſeroſo, latex purpureus ſanguinei ſyſtematis arterioſi, utique in curſu præpeditur & in transmigratione retinetur. Tan-

(o) Id autem in venis revera accidere etiam *Hambergerus* Diſſ. a nobis excitata §. 37, 38. Fig. I. experimento luculentiſſimo tubo recurvo valvula inſtructo, inſtituto, demonſtrat. It. Celeberr. *Lanciſius* ramos venæ azygæ varicoſos in latere affecto pleuritide mortuorum, invenit. Diſſ. epiſtolari de vena ſine pari.

Tantum vero abeſt, cordis motus huic rerum ſtatui ut indulgeat aut ad eum ſe accommodet, ut non potius, invitiś etiam mechanicis, vim vi repellere conetnr, atque humorum particulas circa axin ſuæ cujusque ſphæræ rapidius violentiusque vertat volvatque, qui ſtatus deinceps dicitur febris, celebratur attritus, inflammatio, oboritur rubor, tumor, dolor punctorius, lancinans, ob nervos ubique occurrentes, ita, ut ſi medicus hanc ſeditionem non frenaret inque priſtinam rurſus reduceret pacem, oppilatio talis φλεγμονώθης certo certius aut in abſceſſum, ut chirurgia docet, exitialem, ἐμπύημα Græcis dictum; aut ſcirrhum, gangrænam & ſphacelum ſeu νέκρωσιν abiret.

Superius recenſita ergo, ſive ἰδιοπαθως ſive δεύτεροπαθως in pleuræ contingant vaſis, quoad ſtatum ἀναβατικον & ἀκμαστικον Pleuritidem veram nobis ſiſtunt (π).

Quod

(π) *Hippocrates* Lib. III. aphor. XXIII. *Galenus* Lib. VI. Comment. Aph. XXXIII. It. Lib. V. de Loc. aff. cap. III. It. Lib. II. de Loc. aff. cap. VII. It. De conſtitut. art. med. 15. 4. de cauſ. pulſ. 8. *Ariſtoteles* & *Apollonius Mys* in libris ſuis deperditis. It. *Diocles*, *Eraſiſtratus*, *Aſclepiades*, *Soranus*, apud Cæl. Aurel. Lib. II. acut. cap. XIII. & XVI. *Paulus* Lib. III. cap. XXXIII. *Aëtius*

Quod autem inſpirationis actio ſimul læſa, ſeu ſecundum Græcos δύσπνοια, eaque ingens & doloroſa, juxta obſervetur, ex continuatione pleuræ, qua, tum pectus inveſtit, tum etiam pulmones & diaphragma obducit, facile intelligi poteſt, nam quoad prius, ambæ pleuræ, pulmonalis puta & coſtalis, ob viciniam non raro ita conglutinantur, pulmonesque coſtis accreſcunt atque vaſis communicant, ut facillime pulmonum pleura abinde participet aliquid & eryſipelas contrahat, adeoque etiam ſtringatur, breviorque & arctior reddatur, ne pulmoni in inſpiratione ſe explicanti impune cedere valeat (ρ): quod, vel me non monente, gna-

Aëtius Tetrabibl. II. Serm. IV. cap. LXVII. *Actuarius* Meth. med. L. IV. cap. IV. *Alex. Trallianus* Lib. VI. cap. I. *Celſus* Lib. IV. cap. VI. *Cæl. Aurelianus* loco hic citato. *Foëſius* Oecon. p. 513. *Dicterus* n. 690. *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente* Pentateucho chirurgico Lib. I. cap. III. pag. 9. Francof. ad Moen. 1592. Celeberr. *de Gorter* Pr. med. Syſt. T. II. Lib. III. 335.

(ρ) *Felix Platerus* Centur. poſthum. Quæſt. 58, 59. ſemper ſimul pulmones inflammari ſectione pleuriticorum ſe deprehendiſſe aſſeverat, cui & ſubſcribit *Zecchius* in Conſult. 26. *Oribaſius* Synopſ. L. IX. cap. VII. primo membranam coſtas ſuccingentem invadi aſſerit. *Sennertus* Lib. II. Pr. P. II.

 cap.

gnarus quisquis perſpicere poteſt: Quoad poſterius, pleura ipſa coſtalis, ſi ſyderata eſt, inflammatione & tumore intra ſuas laminas hærente, ſubinde decuplo craſſior redditur, quo fit, ut inflato & in actu inſpirationis expanſo pulmoni identidem in aream inflammatam impingenti, ſiquidem contactus inevitabilis eſt, citra exquiſitum dolorem ſpatium ſeſe explicandi concedere non poſſit (σ).

Accedit etiam, quod muſculi mesopleurii hoc in caſu non minus, *συμπαθῶς* licet, patiantur, inflammentur, ſtringantur-

que

cap. 16. diſtinguit inter ſuperiorem pleuræ partem, cum pulmonibus connexam, qua inflammata, pulmonum ſubſtantiam ſimul etiam affici concedit: & inferiorem, quæ ſola quoque inflammari nata ſit, ut vera pleuritis oriatur: Sed cum præter alios & nosmetipſi adminiſtrationibus anatomicis occupati plus ſimplici vice inferiorem pleuræ partem quoque in ſubjectis dum viverent robuſtiſſimis ſaniſſimisque cum pulmonibus arcte connatam deprehendimus, nullum ſupereſt dubium, quo minus etiam coſtalis pleura, pulmonum pleuræ, (aut etiam contra) hic locorum inflammationem impertiri queat.

(σ) *Dolæus* Encyclopæd. Lib. II. cap. III. p. m. 308. ſic fatur: *In pleuritide pulmones non laborant, niſi tandem ob vicinitatem ſimili contaminentur labe: difficilis reſpiratio in pleuritide oritur, quia pulmones in inſpiratione expanduntur, atque pleuram inflammatam attingendo, atrocem dolorem excitant, hinc ægri ſponte ob metum doloris reſpirationem cohibent.*

que (τ): quare pectus rite & commode dilatari nequeat.

Equidem scio, jam olim cum *Euriphone*, *Evenore*, *Praxagora* & *Philotimo* etiam *Demetrium Herophilum* (φ) medicum eximium, omnem pleuræ costalis inflammationem in pleuritide strenue negasse, ejusdem sedem unice in pulmonum parte collocasse, dum eos solos hoc in morbo pati, per observationes anatomicas constare asseverabat, ubi illam ἀμετρείαν & δυσκρασίαν in membrana succingente costas, ne lynceis quidem oculis in sectis pleuriticorum cadaveribus conspici liceret; quod autem, quoties legi, toties & peripneumonicos cum pleuriticis eum confudisse deprehendi; quod facile accidit, siquidem sæpe, imo sæpius, metastasi ad pulmones (ob vasorum communicationem) funesta, quæ ante pleuritis fuit, in peripneumoniam

(τ) *Apollonius Mys* loco superius citato. Item *Asclepiades* Libro deperdito apud Cæl. Aurel. Lib. II. acut- cap. XIII. Celeb. *de Gorter* Pr. med. Syst. T. II. Libr. III. 335.

(φ) Apud *Cæl. Aurel.* Libr. II. acut. cap. XVI. Lib. IV. cap. VI. VII. Quorum partibus & ipse favet *Aurelianus*, *Petrus Servius*, *Vincentius Baronius*, *Schneiderus* in thesibus a Schrœdero defensis, aliique non ignobiles.

niam tranſit, & quando rejectiones purulentæ non rite ſuccedunt, pulmones utique corrumpi, mortemque præ foribus eſſe, nemo non intelligit (χ).

Quæ cum ita ſint, multo minus inducor credere id, cujus contrarium cum aliis, & diligentioribus & illuſtrioribus (ψ) egomet αὐτόπτης teſtari poſſum, qui pleuram coſtalem ad usque muſculos meſopleurios corruptam & ſphacelatam, pulmone proximo ſuperficie tenus tantum tacto, in pleuriticis defunctis vidi & examinavi.

Oſtendunt porro loci ejus affectionem ii, qui male tractata pleuritide empyici & quidem ab intimis ad extimas fiunt partes,

(χ) *Bonetus* ſepulchreto anat. Tom. I. Lib. II. Sect. IV. obſ. 14. §. 4. Genevæ 1679. Pleuritidem in peripneumoniam ſæpe tranſire, licet non ſemper ita contingat, teſtatur.

(ψ) *Hippocrates* de morbis Lib. I. cap. II. Chart. T. VII. pag. 546. *Cæl. Aurel.* acut. morb. Lib. II. cap. XVII. pag. 117. *Nicolaus Maſſa* Introduct. anat. fol. 50 Venet. 1536. *Lazarus Riverius* Pr. med. Lib. VII. cap. II. p. m. 427. *Heurnius* de morbis pectoris cap. II. pag. 26. ex offic. Plantin. 1602. *Bonetus* l. c. *Diemerbroeckius* Anat. Lib. II. cap. XIII. pag. 309. *Harderus* Apiar. obſerv. 53. pag. 222, 223. *Boerhavius* aph. 877. It *Svietenius* T. III. comment. ad hunc locum. *De Gorter* Pr. med. Syſt. T. II. Lib. III. 335.

tes, ubi manifesto abscessum in pleura costali musculisque antedictis, foras proruentem, patiuntur, ut plerumque nos ipsi, ac præsertim dum hæc scriberemus, & vidimus & recuravimus.

Si autem, quod sæpe fit, primum in pleura pulmonali atque vasis bronchialibus istiusmodi oppilatio φλεγμονώδης nascitur (ω) pleura costali vel prorsus intacta, vel per communicationem & viciniam obiter tantum aut συμπαθῶς affecta, facile etiam in ipsam pulmonum substantiam nidulatur & grassatur profundius, δύσπνοιαν graviorem quin ὀρθόπνοιαν ut cum *Hippocrate* (α) loquar, creat, qui affectus κατ' ἐξοχὴν peripneumonia audit (β).

Qua

(ω) *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente* loc. cit.

(α) De morbis Lib. III. cap. XV. Chart.

(β) *Hippocrates* de morbis Lib. cit. cap. VII. *Aretæus* de morbis diuturnis l. 12. It. de causis & signis acut. morb. Lib. II. cap. I. pag. 10. *Actuarius* meth. med. Lib. IV. cap. IV. *Paulus* Lib. III. cap. XXX. *Trallianus* Lib. V. cap. II. pag. 241. *Celsus* Lib. IV. cap. VII. *Cæl. Aurel.* acut. morb. Lib. II. 26, 27. *Andreas Cæsalpinus* Lib. VI. cap. X. eam & *pulmoniam* dicit. *Bonetus* med. septentr. Collatit. ad l. 2. Sect. 10. in indic.. hunc affectum pleuroperipneumoniam nominat. It. Mercur. compit. l. 14. pag. 558. 578. Edit. 1673. Integram de ea dissertationem scripsit *Schneiderus* propugnante Schrœ-

Qua in re & cum præmemorato *Demetrio Herophilo*, *peripneumoniam tumorem in toto pulmonis corpore eſſe*, ſapienter dictitante, omnino facio, quandoquidem nihil prohibet quo minus pleura pulmonali inflammata, pulmonum ſubſtantia quoque, brevi tempore, ob reſpirationem vehementer ſufflamminatam, ſanguinemque ea propter plus magisque ſtagnantem & πολυπόδωδην factum, intumeſcat & φλεſμονην contrahat (γ).

Quam facile autem id contingere queat, vaſorum oſtendit connubium, quo bronchialia cum pulmonalibus arctiſſime conſpirant, quando illa nimirum cum his ubique contigua non ſolum, verum & plurimis in locis per anaſtomoſes juncta & continua reperiuntur (δ), quemadmodum & pulmonalia vaſa arterioſa, ramificationibus capillaribus ſtupenda implicatione bronchiis circumvoluta irretitaque, & cum venis *rete vaſculoſum* dictum, com-

po-

Schrœdero, quam inſeruit Bonetus ſuæ medicinæ ſeptentrionali l. c. pag. 348. ubi pneumopleuritis appellatur. Confer etiam *Boerhavium* aph. 820. & ſequ., & Illuſtr. *Suietenium* in comment. ad hunc locum.

(γ) Legatur *Boerhavius* aph. 825 & 826. & Illuſtr. *Svietenius* in comment.

(δ) *Ruyſch* Catalogo rariorum pag. 162.

ponentia, in ea quoque ſe aperiunt & ſerum deponunt: cujus vel luculentiſſimum nobis impertitur teſtimonium experimentum egregium, quod præter celeberrimum *Haleſium* (ε) etiam Illuſtris *Svietenius* (ζ) inſtituit, ubi aquam per pulmonalem arteriam (ſemoto omni ruptionis dubio) immiſſam, pleno rivo per aſperam exire arteriam, jucundo prorſus ſpectaculo fuit animadverſum: Cui negotio etiam ramificationes venæ pulmonalis longe pauciores, quam arteriæ, exiſtentes, non minus atque diameter earundem anguſtior mirum quantum favent: luculento indicio, rejectiones tum purulentas tum floridas, huic morbo tam familiares & fauſti eventus prænuncias, viam migrare ſatis naturalem, & a SUMMO DOMINATORE ab initio præparatam.

Conſiſtit ergo differentia utriumque morborum in ſede ſeu loco quem ſingulus occupat (η), & ſicuti prioris criterium δu-

(ε) Hæmaſtatik experiments XI. pag. 73. &c.

(ζ) Comment. ad aph. Boerh. 830. Inde & eſt, quod *Riolanus* (locuples auctor) Encheirid. anat. Libr. III. cap. IV. Pleuritidem & Peripneumoniam affectus fraternos & congeneres nominaverit. It. *Bonetus* ſepulchreto anat. l. c.

(η) Celeberr. *Boerhavius* aph. 820 & 875. Illuſtr. *Svietenius* in comment. ad hæc loca.

δυσπνοια dolorofa, ita poſterioris eadem difficilior (ϑ) imo & ὀρθόπνοια, non dolorofa tamen, cum reliquis ſignis pathognomonicis ſingulo eorum partim propriis, ut, pulſus parvus, durus, celer, aſper, ſerratus, micans etiam, ut ipſe in morbi ἀκμὴ animadverti, qui in peripneumonia mollior, debilior & inæqualior deprehenditur, ut celeberrimus *Boerhavius* (ι), *Suietenius* (κ) & *de Gorter* (λ), ſapienter annotârunt: porro, dolor pectoris fixus atque continuus, in peripneumonia contra, gravitas tantum diſtenſioque thoracis, præcordiorum imprimis, enormis, cui accenſetur naſus in ſummo ſimus, venarum temporum elevatio, oculorum intumeſcentia: aquæ frigidæ, magis tamen auræ gelidæ concupiſcentia & anhelitus, exſpiratio calida (μ), utpote quibus pleuritidem perpetuo carere novimus: partim etiam ambobus communibus, quorſum re-

(ϑ) *Alexander Maſſarias* op. med. Lib. II. cap. III. de pleuritide pag. 109. Lugd. 1634.

(ι) Aphor. 826.

(κ) T. II. Commentariorum in aph. Boerhavii 826.

(λ) Praxeos medicæ ſyſtemate T. II. Lib. III. 336.

(μ) *Boerhavius*, *Suietenius*, *de Gorter*, loc. cit.

referuntur febris continua acuta, ardens, agrypnia non raro deliriis & mentis alienatione stipata, tussicula frequens & suffocans, nunc sicca, nunc sputo & rejectionibus mox purulentis, mox cruentis & floridis juncta: malæ, præsertim affecti lateris rubentes, appetitus prostratio: urina plerumque rubra & turbida.

At enim, quando in utrisque simul, pleura nimirum & costali & pulmonali inflammatio talis, *æqua violentia urgens*, observatur, *pleuropneumonia* dicitur, quæ, præter memorata symptomata, tanta hominem angit ac strangulat ὀρθόπνοια, dolore punctorio juxta stipata, ut brevi tempore in ἄπνοιαν desinat lethalem, quandoquidem e duorum priorum συνθρωμῇ emergit.

Quomodo vero accidere possit, ut & pulmonalis pleura, (technice membrana communis dicta) costali jam incensa, erysipelas contrahat, nexu edocemur vasorum, si modo revocamus periodum quartam capitis hujus partis primi, ubi mentionem injeci venæ bronchialis dextræ in ἄζυγον sese effundentis: si ergo in ramificationibus intercostalium stagnatio oritur, fieri potest, & vere fit, ut proin prædictæ bronchialis venæ sanguis redux, rite atque decenter

in

in illam exonerari nequeat, ſed potius, ob ſanguinis in vena ἀζυγῳ motum ſegniorem ignavioremque, & reſiſtentiam abhinc natam, etiam ſtagnet, ideoque & arteriæ bronchialis latex in curſu ſufflaminetur & retineatur, quare pulſus velocior, ſeu, quod idem eſt, velocior cordis contractio & ſyſtole, in pulmonum pleuram, mediantibus ſanguinis columnis ſæviens, vaſorum ejusdem turgeſcentia generalis, explicationem ejus lobi, & proin auræ tam deſiderabilis inſpirationem conſuetam, δυσπεροπαθῶς licet, impediens.

Comprobant aſſertum noſtrum varices venæ ἀζυγȢ a celeberrimo *Lanciſio* (ν), in pleuritide defunctorum cadaveribus apertis, repertæ, ut opus non ſit, pluribus augere rationibus, quod ſectiones cadaverum ejusmodi quotidie oſtendunt.

Idem etiam in latere ſiniſtro pari accidere ſolet ratione, quando nimirum in intercoſtalibus ſuperioribus, (quæ in ſubclaviam proximam hiant) oppilatio φλεγμονώδης orta eſt: tunc enim, ſanguinis, venæ bronchialis ſiniſtræ, (in easdem intercoſtales deſinentis) ſimile impedimentum pares producit effectus.

CA-

(ν) Diſſertatione epiſtolari jam a nobis excitata.

CAPUT III.

Venam medianam affecti lateris incidendam indicans.

NUNC morbo ex anatomicis, phyſiologicis & pathologicis ætiologice disquiſito & expoſito, indicationem optime formatum iri, plane conſtat.

Cauſalis autem cum ſymptomatica (eſt enim morbus peracutus) locum ſuum hic tuentur, imprimis, ſi ſpecialius loqui licet, evacuatoria, utpote qua utramque hic loci abſolvimus paginam, in auxilium recuperandæ valetudinis vocanda eſt: non ac ſi materiam τῆς ἐμφραξιῶς ipſam protinus educere (ut quidam credidere) vellemus, ſed potius, quo ſpatium ad diſcutiendum, ſenſim ſenſimque removendum, reſolvendum, proindeque etiam reſorbendum in venis eidem procuretur: quod eductione ſanguinis è loco, quoad

quoad ejus fieri poteſt, proximo, impetramus (α).

Vernm quidem eſt in trunco venæ ἀζυγȣ, ceu loco omnium proximo, ſanguinis exantlationem immediate inſtitui haud poſſe, neque etiam alio, circa aream inflammatam parum remotiori loco: etiamſi *Aëtius* (β) ſcarificari affectum juſſerit latùs, id ipſum tamen, quanquam muſculorum meſopleuriorum hic occurrant vaſa, quæ, cum non omnia ab ἀζυγῳ, ſed etiam a mammariis externis ſpargantur, me judice, parum vel nihil, niſi forte materies ſponte inclinet, obtinebitur, quin dicam ſanguinis eductionem longe inſigniorem, cito, tuto & jucende agentem, hic requiri.

Or-

(α) Sapienter quidem monuit Celeberr. *de Gorter* Exercitat. I. de motu vitali §. LV. *Venæ ſectionem non auferre ex parte inflammata materiem obſtruentem, ſed compeſcere motum rapidiorem vitalem, quem ſtatuimus cauſam inflammationis:* at ſubjungimus: Non auferri quidem materiem obſtruentem in ipſo eductionis actu, ſed cruorem in venis, cum arteriis obſtructis communicantibus, propter *motorem impeditum* ſubſidentem, varices agentem, ἔμφραξιν talem mirum quantum ſuſtinentem & ad omnem loci mutationem ſubeundam, impedientem, educi, atque ſic *una opera* & *remotam* & *proximam removeri* inflammationis cauſam.

(β) Tetrabibl. II. Serm. IV. cap. LXVIII.

Ordiamur itaque ab arteriis, quoniam per eas in venas transmittenda materies pleuritica eſt: & videbimus ex prædictis, hujus partis primi capitis, elucefcere, arterias omnes, quæ hic locorum urgent vel urgere poſſunt, ex *axillari*, ut *thoracicam inferiorem* & *ſcapularem internam*: ex *ſubclavia*, uti *quatuor intercoſtales ſuperiores*, *mammarias internas* & *mediaſtinas anticas*, ex *aorta deſcendente*, ſeu, quod eodem redit, *aortæ trunco*, ut *intercoſtales octo inferiores*, ſubinde omnes duodecim, ſuperiores puta & inferiores: item, *arterias bronchiales*, non raro ex arteria intercoſtali ſuperiori, vel etiam, (quod ipſe vidi) ex oeſophagea: ex *intercoſtalibus*, ut *mediaſtinas poſticas*, progredi, easdemque apicibus ultimis in apices extremos *venæ thoracicæ inferioris*, *ſcapularis internæ*, *intercoſtalium* ſiniſtri lateris *ſuperiorum*, *mammariarum internarum*, *mediaſtinarum anticarum*, *intercoſtalium reliquarum*, *bronchialium*, *mediaſtinarum poſticarum* in & per pleuræ ſubſtantiam undiquaque diſperſis & diſſeminatis terminari vel ſi mavis mutari.

Nunc inchoemus in anaſtomoſibus ultimorum harum venarum apicum, & progrediamur ab hiſce capillaribus candidis

vaſculis ad paulo majora, rubicunda, & ex his ad trunculos tres, qui huc imprimis faciunt & *præcipue venæ ſectionem derivatoriam indicant*, *axillarem* puta, *ſubclaviam* & ἄζυγον, donec tandem in communem harum venarum omnium truncum, venam cavam ſuperiorem intellige, deſinamus.

Vena adeoque *thoracica inferior* quomodo & *ſcapularis interna* in utramque abeunt *axillarem*; *intercoſtales* ſiniſtri lateris *ſuperiores* quotquot ſint, (differunt enim numero) cum eadem *mammaria interna*, nec non *vena bronchiali* & *mediaſtina antica ſiniſtra* in *ſubclaviam ſiniſtram*: *intercoſtales dextræ* omnes, *ſiniſtræ* inferiores tantum, veluti & *vena bronchialis dextra* cum *mediaſtinis poſticis* in ἄζυγον ſeſe exonerant; denique *axillaris* ipſa, *ſubclavia* & ἄζυγος *vena*, poſtquam recenſitas accepêrunt venas, cum *mammaria interna dextra* & *mediaſtina antica dextra* immediate in *cavam ſuperiorem* hiant.

Cum itaque hæ venæ omnes in ſuperiorem cavam ſuum tandem effundant ſanguinem, utique pateſcit, & eam eſſe deplendam, ne ſanguis tam copioſe ut ante, & violenter in cor, atque ex illo in arte-

rias

rias præstructas ruat, proin & eo ipso sanguis arteriosus minuatur simul, ne amplius in oppilationem φλεγμονωδῆν tam violenter sævire queat: ab altera parte, per venas ipsas materia stagnans, cruore subsidente vel potius segnius refluente, quod varices hic locorum repertæ manifesto indicant (β), educto, spatium acquirat & libertatem locum mutandi, quod communiter nomine resorptionis intelligitur & *hæc sunt, quæ nostra derivatoria venæ sectione fiunt atque accidunt.*

Enim vero, ut hoc, quoad ejus fieri potest, citissime obtineatur, brachii venæ, tum propter ligationis negotium, tum etiam ob nexum propiorem & viciniam, quam cum vena cava superiori atque abhinc dependentibus subclaviis & axillaribus gerunt, ad aperiendum quam commodissimæ deprehenduntur.

Seligitur autem præ cæteris ad secandum vena mediana, facilis ut plurimum inventu, exantlatione cujus, duabus venis brachialibus simul, cephalicæ nimirum majoris & basilicæ demitur affluxus, utpote in quas sese effundit, & quæ post-

mo-

(β) Confer *Hambergeri* Diss. a nobis aliquoties excitatam §. 37, 38. Fig. 1. Et celeb. *Lancisium* l. c.

modum in axillarem, ex hac in ſubclaviam & deinde cavam ſuperiorem aſcendunt atque terminantur.

Demonſtravimus nunc viam atque modum reſorptionis in venis huc ſpectantibus, generalem, qui etiam, quoad ἄζυγον, mammariam internam & mediaſtinam anticam dextram, quæ tres, ut ſupra innuimus, venam cavam ſuperiorem eodem modo ac ſubclaviæ, immediate intrant, ſufficeret: At, cum & reliquarum a nobis ante adductarum venarum plexus non ſolum hic concurrant, ſed & priorum plexubus mire irretiantur & intertexantur, demonſtrabo & harum ſpecialem exantlationem & quidem per medianæ affecti lateris depletionem optime præſtandam.

Paulo ante dictum eſt duas in axillarem dextram hiare venas, thoracicam nimirum inferiorem, quod repeto, & ſubſcapularem internam: nunc ergo, ſi hæ duæ in plexubus ſuarum anaſtomoſium cum anaſtomoſibus ἀζυγοῦ venæ, vel etiam in propriis cum ſuis arteriis plexubus, utcunque ſit, ἔμφραξιν aut oppilationem φλεγμονώδην patiantur, medianæ ejusdem lateris inciſione exantlamus harum ambarum venarum communem ſimul & proximum

mum alveum, qui est, præmemorata axillaris vena, quo ipso dein & thoracica inferior & subscapularis interna spatium inveniant exonerandi se liberius.

OBSERVATIO I.

„ Exinde nobis explicatur phænome-
„ non illud salubre & boni ominis, quan-
„ do nimirum pleuritis vaga fit atque
„ ascendit e pectore scapulam versus,
„ quo edocemur ἐμφράξιν è vena ἀζυγῆ in
„ anastomoses venæ thoracicæ inferioris,
„ quæ hic locorum residet & magis exte-
„ riora, dorsum & scapulam versus in-
„ clinat, itidem ac subscapularis internæ
„ cum hac & intercostalibus conspirantis,
„ recessisse, neque multum abesse, ut
„ in breves harum venarum trunculos
„ ampliores, perque easdem in axilla-
„ rem, (per medianam jam depletam)
„ ampliorem prioribus & ad recipiendum
„ longe commodiorem, materies hæc in-
„ visa præcipitetur.

„ Quod etiam de plexubus harum dua-
„ rum venarum, siquando ipsi obstructio-
„ nem quandam paterentur, atque in eis
„ pleuritis nata esset, intellectum volu-
„ mus.

OBSERVATIO II.

„ Ex ea venæ thoracicæ inferioris di-
„ rectione elucescit etiam, qui fiat, ut
„ pleuritis in abscessum sub axillis pro-
„ rumpentem nonnunquam desinat, quan-
„ doquidem hæc vena non solum ad mu-
„ sculos subscapularem, rotundum majo-
„ rem & minorem, infraspinatum, spi-
„ nosum dorsi magnum, pectoralem ma-
„ jorem, sed etiam ad glandulas axillares
„ ramos spargat notabiles."

Porro, in sinistram subclaviam intercostales ejus lateris superiores, mammariam internam sinistram, venamque bronchialem & mediastinam anticam sinistram sese effundere: neque minus in eandem axillarem, eandem quoque thoracicam inferiorem cum scapulari interna intrare, ostendimus. Quodsi ergo latus sinistrum patitur, inque harum venarum anastomosibus oppilatio φλεγμονώδης delitescat, intuitu depletionis & resorptionis citioris par ratio erit, ac in dextri ante adducti vasorum, nimirum medianæ hujus, adeoque & affecti lateris, propter subclaviæ & axillaris viciniam propiorem, depletione, quæ, cum vere κατ' ἴξιν fiat, non potest non celerius lon-

longe, quam ex oppoſito latere, ſpatium reſorbendi procurari atque obtineri.

SCHOLION I.

„ In anaſtomoſibus mammariarum in-
„ ternarum pleuriticam quandoque deponi
„ materiem quidam dubitarunt, dum
„ ſingulam earum duplicem, externam
„ puta & internam, multis modis ſibi in-
„ vicem & quidem anaſtomoſibus, ut
„ notum eſt, parallelis, breviſſimis, iis-
„ demque cylindraceis non conicis, cor-
„ reſpondentes perhibent atque ex eo fun-
„ damento ſic argumentantur:
„ *Si verum eſt* ἔμφραξιν *pleuritidem crean-*
„ *tem in plexubus harum anaſtomoſium hæ-*
„ *rere; ſequitur, pleuritidem* ἀποστηματώδην
„ *frequentiſſime ab interioribus exteriora ver-*
„ *ſus (convenienti regimine) duci, cum re-*
„ *ſorptio ab intra ad extra per ejusmodi bre-*
„ *viſſimas anaſtomoſes longe facilius ſucce-*
„ *deret: ſed, falſum eſt poſterius ergo &*
„ *prius.*
„ At enim vero, reſpondemus negan-
„ do conſequentiam, non enim video,
„ quomodo adverſarius remoto conſequen-
„ te & antecedens removeri ſibi perſua-
„ dere queat, quum multæ aliæ proſtent

„ rationes, quo minus metastasis ejus ge-
„ neris accidere queat: mares enim si
„ conspicamur, tam notabiles & copio-
„ sas utriumque mammariarum anasto-
„ moses, quæ grumosas ejusmodi con-
„ gelationes facile arriperent aut admitte-
„ rent, minime fovent, siquidem talis
„ ad mammas affluxus, ut in fœminis est,
„ in eis non celebratur: deinde compa-
„ ges mammarum glandulosa, ejus gene-
„ ris materiem non facile recipit, & si
„ receperit, quod tamen raro succedit,
„ scirrhum potius quam apostema ob me-
„ chanismum partis & crasin materiæ
„ inertioris, est actura. Fœminas si con-
„ templamur, hæ, quanquam ampliora
„ utplurimum & recipiendo magis apta
„ hic loci gerant vasa, tamen evitant
„ ejus generis metastasin eo magis, quo
„ frequentius, pectus liberiori ostendunt
„ atque exponunt aëri, qui stringendo
„ poros, materiem adventantem potius
„ retrocedere & pristinum in nidum se
„ recipere cogit, quando & insuper ca-
„ lor intra pectoris clibanum tepidus,
„ cordisque ipsius, omnis caloris fontis,
„ vicinia, vasorum internorum diame-
„ trum largiorem semper sustentans, ean-
„ dem ad interiora continuo invitat. Si

„ au-

„ autem hæc non rite adsint, certo certius ad glandulas abibit, easdemque „ obsidendo successu temporis scirrhum, „ pro constitutione subjecti, nunc serius, nunc ocyus, in cancrum funestum desinentem, generabit. Inde „ & est, quod istiusmodi scirrhos & cancros occultos in fœminis nullam unquam lactationem neque ad mammas „ affluxum, aut violentiam externam, „ ictum puta vel casum circa eas passis, „ sponte fieri, atque tali funesta metastasi „ gigni, nonnunquam observetur.

„ Interim abscessus in fœminarum mammis, non obstantibus omnibus jam adductis rationibus, sat notabiles & vastos sæpenumero oriri non nescimus: „ At enim, quum non ex pleuritica materie suapte natura inerti atque tenaci, „ sed lacte stagnante putridoque ob salia „ propria & laxiorem essentialium cohæsionem ad feliciorem celerioremque „ coctionem & maturationem apto nato, „ proin & aliquales aëris injurias facilius „ superante, suas ducant natales, huc „ nullatenus trahendi sunt, quoniam ob „ diversitatem craseos materiæ peccantis „ nihil probant."

„ Non inepte autem quæri hic possit,

„ qui fiat, ut pleuriticæ materiæ metaſta-
„ ſis ad glandulas axillares facta non ſcir-
„ rhum (ut in mammariis fieri perhibui-
„ mus,) ſed abſceſſum agat, quum ta-
„ men hæ glandulæ ejusdem ſint ſtructu-
„ ræ & fabricæ ac mammariæ?

„ Verum enim vero objectione ipſa
„ aſſertum noſtrum probari ſtabilirique
„ potius quam debilitari, nemo non vi-
„ det: Poſito enim, ſed non conceſſo,
„ axillares glandulas, ejusdem eſſe me-
„ chaniſmi quam mammarias, licet longe
„ alio uſui prorſusque diverſæ ſecretioni
„ dicatæ ſint; nihilo tamen ſecius illas
„ cum omnibus copioſis circa ſe occur-
„ rentibus vaſis, tam per ſtructuram par-
„ tis ipſius, quam per amictum, quo
„ utimur, ab aëris injuriis muniri magis
„ defendique præ mammariis, atque ſic,
„ calore externo eas partes indeſinenter
„ ambiente foventeque, inertiorem iſtius-
„ modi & viſcidiorem materiem ad reſo-
„ lutionem & eliminationem ſubeundam
„ diſponi magis quam impediri in aperto
„ luceque clarius eſt.

„ Eam ob cauſam quoque parotides at-
„ que labiales glandulas frequentius longe
„ axillaribus ſcirrhum contrahere animad-
„ vertimus, ſiquidem hæ non niſi per
„ con-

„ contagium & quidem a cancro mam-
„ marum vicino, quod alia eſt ratio, di-
„ ram hanc labem incurrant.

„ Sedem igitur mali hujus in interna-
„ rum mammariarum quandoque delite-
„ ſcere anaſtomoſibus, præter duos caſus
„ mihi notos, docuerunt quoque *Hippo-*
„ *crates* (γ), *Aëtius* (δ), *Gabriel Fallo-*
„ *pius* (ε), *Heurnius* (ζ) quin & *Do-*
„ *læus* (η), locuples auctor, qui, exper-
„ tus nempe loquitur, juvenem octode-
„ cim annorum, pleuriticum factum, do-
„ lorem obſcurum ſub mamma ſiniſtra,
„ verſus hypochondrium vergentem, ſen-
„ tire obſervavit, eundemque die ſubſe-
„ quenti auctiorem & lancinantem cum
„ tuſſicula, ut ſolet, & febre ægrum ve-
„ xantibus, donec ſanguinem exſpuerit,
„ claris recenſet verbis: Item & *Lazarus*
„ *Ri-*

(γ) Lib. de vict. rat. in morb. acut. II. aph. X. It. Lib. IV. aph. LXXIII.

(δ) Tetrabibl. II. Serm. IV. cap. LXVIII. mox in limine.

(ε) Tr. de medicam. ſimpl. purgant. pag. 9. Francof. 1600.

(ζ) De morbis pectoris cap. II. pag. 42. Edit. ſæpius citata.

(η) Encyclopæd. med. dogm. Lib. II. pag. 301, 302.

„ *Riverius* (ϑ), de loco ſeu ſitu pleuritici „ doloris differens, ait: *nonnunquam magis verſus anteriora vergit*; *Boerhavius* (ι) quoque & Illuſtr. *Svietenius* (κ), cum aliis excellentiſſimis viris hæcce loca non immunia & obſervarunt & pronunciarunt: Præter hæc etiam quomodo pleuritis vagans facta ad claviculas interdum aſcendere posſit (λ), ex horum vaſorum tractu clare patet.

SCHOLION II.

„ In anaſtomoſibus mediaſtinarum anticarum non minus fieri, auctor eſt *Avenzoar* (μ), *Nicolaus Maſſa Venetus* (ν), *Bonetus* (ξ), *Cæſalpinus* (ο), „ *Za-*

(ϑ) Prax. med. Lib. VII. cap. II. pag. 428.
(ι) Aph. 877.
(κ) Tom. III. Comment. ad prædict. aph.
(λ) Confer *Hippocratem* loc. cit. Item *Aëtium* loc. cit.
(μ) Lib. I. Theizis Tract. XVI. cap. VI.
(ν) Introduct. anat. fol. 50. Venet. 1536.
(ξ) Sepulcreto anat. T. I. Lib. II. Sect. IV. obſ. 2. Genevæ 1679.
(ο) Art. med. ſpeculo Lib. VI. de morbis thoracis cap. I. Francof. 1605.

„ *Zacutus Luſitanus* (π), *Heurnius* (ρ), „ *Boerhavius* (σ), *Svietenius* (τ), *De* „ *Gorter* (φ), aliique præſtantiſſimi. Nec „ obſtat doloris exquiſitioris atque tam ve- „ hementer quam in pleuritide lancinantis „ abſentia, quo minus & mediaſtini in- „ flammatio pleuritidis nomen mereatur, „ quum in reliquis omnibus, & ſympto- „ matibus, & ſignis, non modo cum „ pleuritide exacte conveniat, ſed & ea- „ dem ratione curetur, ut Illuſtris *Svie-* „ *tenius* (χ) ſedulo obſervavit. Noſtrum „ interim non adeo intereſt, hicne an il- „ lic in latere affecto hæreat pleuritis, „ quando magis de reſorptionis viis, per „ hæc loca & vaſa, ex una plaga in al- „ teram parabilibus atque poſſibilibus non „ ſolum, verum & ſæpenumero animad- „ verſis, ſolliciti ſumus.

„ Contingit porro, ut in mediaſtinis po- „ ſticis tale quid naſcatur, hæ autem, quum „ in

(π) Op. T. I. Lib. II. Hiſt. 23. pag. 223. Lugd. 1649.
(ρ) De morbis pectoris cap. II. pag. 29.
(σ) Aphor. ſuperius allegato.
(τ) Tom. III. Comment. ad hunc locum.
(φ) Prax. med. Syſt. Tom. II. Libr. III. 335.
(χ) Tom. III. Comment. ad aph. 913.

„ in intercoſtales ἄζυγον intrantes, ſuum „ fundant ſanguinem, parem cum hac „ indicationem pariunt (ψ).

„ Nunc videamus quæ in arteriis ac„ cidunt: regrediamur ergo atque inci„ piamus ab arteria principali & proxime „ imperante, quæ venæ medianæ ſangui„ nem urget ac pellit, nimirum arteria „ ſubclavia, cujus ſanguis in axillarem ar„ teriam & poſthac in brachialem atque „ ex hac in cubitæam & radiæam tunc „ temporis debachatur."

Cum ergo ſanguis hic ex arteria ſubclavia proveniat, & ea, ſi affecti lateris eſt, reſiſtentiam æque patiatur, vel per *quatuor ſuperiores intercoſtales arteriolas* (ſi ex ea procedant) vel *mammariam internam arteriam*; vel *mediaſtinam*, ex hac prodeuntem; vel *bronchialem* ex intercoſtali ſuperiori interdum, nec non oeſophagea protenſam; *mediaſtinam poſticam* ex intercoſtalibus genitam: vel, quando in axillarem mutatur, per *arteriam thoracicam inferiorem*; *ſcapularem internam*, ſi in

(ψ) Nonnunquam in his oppilationem φλεγμονώδην naſci, annotavit *Hippocrates* de morbis Libr. III. cap. XV. Charter. ubi de pleuritide dorſali loquitur.

in harum plexubus ἔμφραξις hæreat: utpote quas omnes in & per pleuræ ſubſtantiam mittit; utique ſanguis ejus non tam violenter amplius, in harum arteriarum reſiſtentiam & ἔμφραξιν φλεγμονώδην urgebit, præcipue cum ſimul etiam in venis anaſtomoſi junctis, largior ſui ſanguinis inſorptio, per aliam viam, nimirum, ramos venarum majores, producatur.

Eo ipſo igitur, dum ſanguis per medianæ ſectionem educitur, arteria prædicta ſubclavia momento depletur, proindeque omnes ſeptem prædictas arterias, quæcunque demum earum reſiſtentiam patiatur, non amplius urget.

Hæc ſunt, quæ in arteriis affecti lateris mediante venæ ſectione in eodem inſtituta, fiunt atque accidunt.

SCHOLION I.

„ Quibus ſane Arabum eorumque aſ-
„ ſeclarum metus, quod nempe ſanguis,
„ exantlatione in loco affecto inſtituta,
„ ad eum violentius rueret & inflamma-
„ tionem augeret, plane tollitur; quan-
„ do notiſſimum eſt, venæ ſectione tali
„ una opera duo obtineri, quum *refluxu*
„ ſanguinis e venis violentiori hac ipſa

„ ci-

„ cicurato, etiam *fluxus* ejusdem in arte-
„ rias ſæviens mitigetur.

SCHOLION II.

„ Patet porro, contra promiſcuæ ve-
„ næ ſectionis fautores, eductione ſan-
„ guinis e venis areæ affectæ proximis,
„ obicem ſtagnantem commodius imo ci-
„ tius in earum trunculos divergentes ir-
„ ruere, atque ſpatium procedendi &
„ locum mutandi acquirere, quod reſor-
„ beri dicitur: cui accedit modo dicta,
„ in arteriarum apicibus propter affluxum
„ ſanguinis imminutum, atque ob id ſo-
„ brius leniusque quam antea in ἔμφραξιν
„ φλεγμονώδην urgentem allidentemque, ſpa-
„ ſmi, obicis ejusmodi cauſæ ſecunda-
„ riæ, remiſſio, utpote quæ ad commo-
„ diorem liberioremque tranſitum pari-
„ ter ſuam ſymbolam confert.

Si ergo venas, & quidem ratione trunci communis, in quem ſuum fundunt ſanguinem, intueamur propius, reſpectu *venæ ἄζυγȣ* atque *in eam deſinentium mediaſtinarum poſticarum*, *mammariæ dextræ internæ* itidem ac *bronchialis dextræ*, ingenue fateor, *idem eſſe*, *idem effici*, venam cavam ſuperiorem, haſce venas immediate

diate recipientem, sive per dextram, sive sinistram depleas subclaviam adeoque & nihil obstare, quo minus æque in opposito ac affecto instituatur venæ sectio latere; quod, quo perspicuitati consulatur, sequenti sistam syllogismo categorico:

Quæcunque vena, unicus truncus geminorum crurum est, ea, eandem depletionem sive per dextrum, sive per sinistrum crus instituatur, experitur:

A. *Vena cava superior unicus truncus geminorum crurum est.*

E. *Eandem depletionem, sive per dextrum, sive sinistrum crus institutam, experitur.*

Nunc ideam rei sequens porisma reddet completam:

Quæcunque itaque vena in cavæ superioris truncum immediate hiat, ea idem spatium se exonerandi, proinde etiam in suis anastomosibus resorbendi indipiscitur, sive per dextrum, sive sinistrum crus, cava superior depleatur.

A. *Ἄζυγος vena cum mediastinis posticis, mammaria interna dextra & bronchiali dextra immediate in eundem hiant.*

E. *Idem spatium se exonerandi, & per anastomoses resorbendi indipiscuntur.*

Et intuitu harum quatuor venarum recte sen-

ſentierunt *Williſius*, *Ettmullerus*, *Langius* aliique, quando venæ ſectionem quoad latus dextrum vel ſiniſtrum, promiſcuam venditarunt.

AT *contrarium* aſſerere cogimur ob reliquas in pleura occurrentes venas, venæque cavæ ſuperioris truncum non immediate (ut priores) intrantes, ſed potius loco venæ medianæ ejus lateris propiori, ſubclavia nempe & axillari vena ſuum ſanguinem deponentes: quarum in dextro numeravimus latere duas, in ſiniſtro, ſex: ſi ergo una earum, vel etiam omnes, (quod fieri poteſt) oppilationem φλεγμονώδην ante plexus anaſtomoſium ſuarum cum arteriis patiantur, neceſſario etiam requiritur, ut ſuæ propriæ ſubclaviæ & axillaris depletione exantlentur, quod ſequenti conſtat ratiocinio:

Quæcunque vena gemina, nimirum dextra vel ſiniſtra eſt, earum ſingula commodius & citius depletur, ſi in dextro vel ſiniſtro latere (intuitu noſtri totius corporis intelligendum) *inciditur.*

A. *Venæ axillares & ſubclaviæ ſunt geminæ dextræ nimirum atque ſiniſtræ.*

E. *Dextra vel ſiniſtra*, (pro latere affecto) *ſi commodins & citius depleri debeant, incidendæ.*

PO-

PORISMA.

Quæcunque itaque vena in axillarem dextram hiat, ea, depletione hujus ſpatium ſe exonerandi & per anaſtomoſes ſuas reſorbendi commodius & citius obtinet.

A. *Vena thoracica inferior dextra quomodo & ſcapularis interna in axillarem dextram hiant.*

E. *Et hujus depletione ſpatium ſe exonerandi & per anaſtomoſes reſorbendi commodius & citius obtinent.*

Hæc de latere dextro: ſiniſtrum quando in cenſum venit, plures (ut ante innuimus,) adhuc oſtendit venas in partiales truncos hiantes atque ob id venæ ſectionem partialem indicantes, nimirum in axillarem duas, *thoracicam inferiorem* & *ſcapularem internam*: in ſubclaviam quatuor: *intercoſtales* nempe *ſuperiores. mammariam internam*, *bronchialem* & *mediaſtinam anticam ſiniſtram.*

Cum autem ad lectum ægroti accedentes, utrum ἔμφραξις pleuritica abſolute ante anaſtomoſes venæ ἀζύγου, vel mammariæ internæ aut bronchialis hæreat: an potius in anaſtomoſes reliquarum antedictarum in & per pleuræ ſubſtantiam excur-

currentium venarum inclinet, indubitanter noſcere nec liceat neque neceſſum ſit, ſatius omnino convenientiusque actum eſſe, ſi certum incerto præferendo latus affectum in ſectione venæ medianæ ſeligamus, plane conſtat.

Prouti ergo in poriſmate priori *arbitrarium* erat, oppoſitum an affectum eligas latus, quod utriumque venarum medianarum depletio eandem in juvando præſtabat celeritatem: ſic in poſteriori *neceſſarium* eſt affectum optare latus, ejusdemque venæ medianæ depletionem tantum ſperatum effectum, hoc eſt, citum levamen ſequi, nihil etiam obſtare, quo minus & in *priori arbitrario caſu* expreſſo, *affectum latus eligendum* declaretur, nemo non videt.


Conſectarium generale.

Ex hac theoria igitur in univerſum valet, pleuritidem veram omnem, ſive hæreat præ anaſtomoſibus venarum intercoſtalium ex vena ἀζυγῳ & ſubclavia ſiniſtra prodeuntium cum arteriis intercoſtalibus connexarum; ſive etiam hæreat ante

ante anastomoses venarum mammariarum internarum, thoracicarum inferiorum, scapularium internarum; sive denique delitescat hæsitetque ante anastomoses bronchialium, mediastinarum anticarum & posticarum, cum eorum oppositis arteriis, aut etiam aliis, (ut fit, nam vena quævis non semper unice atque solum cum sua propria & sibi opposita communicat & coit arteria, quin etiam cum aliis vicinis lenocinetur) communicantes, per depletionem venæ subclaviæ atque in eam desinentis axillaris affecti lateris, tolli ocyus, quod, venæ præ anastomosibus suis ἔμφραξιν pleuriticam patientes, subclaviarum & axillarium suarum, ceu, sibi propriarum depletionem experiantur citius, adeoque ἔμφραξιν aut oppilationem φλεγμονώδην resorbeant celerius, in quocunque demum recensitorum vasorum plexu ἀναστομωτικῶ hæreat.



C A-



CAPUT IV.

Ea, quæ ratione conſtare vidimus, experientia probans.

HACTENUS expoſita autem ratione non modo, ſed & experientia conſtare, imo &, non minus quotidiano uſu id obſervantibus ac præterita ſecula intuentibus inclaruiſſe, oſtendere, animum induximus.

Maximum igitur enarrationis noſtræ patrocinium hinc ordiemur, quod *Galenus* quoque pronunciavit & ſanxit his verbis.

Pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris adhiberi ſolet ſanguinis miſſio, clariſſimam ſæpe utilitatem attulit: quæ vero ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut poſt temporis intervallum (α). Et alio loco:

Por-

(α) Lib. experientia confirmatum præſagium cap. IV.

Porro, tam perſpicuum, celereque remedium, quæ e directo affectis partibus venæ ſecantur adferunt, ut qui patiuntur, & familiares ipſorum ſæpenumero obſtupeſcant (β).

Præſentiſſimum adeoque & celerrimum in pleuritide venæſectionem derivatoriam, cæteris paribus, præſtare auxilium præter alios & nosmetipſos plus ſimplici vice fuiſſe expertos, ſequentes morborum caſus a nobis obſervati atque collecti ſunt oſtenſuri.



Producimus ergo in ſcenam juvenem generoſum, athletici habitus, maximeque plethoricum, qui, equitationi operam navans, Sirio feruente vehementer & ad largiſſimum usque ſudorem incaleſcebat, potus deinde deſiderio, cujus alioqui potens non erat, ingenti correptus, aliquot pocula Zythi maxime frigidi inconſulto ingurgitat, quam diætam horripilationes cum imbecillitate quadam & moleſtia preſſo pede inſequentes, noſtrum, multo licet die, lectum petere co-

(β) De curandi rat. per ſangu. miſſ. cap. XV.

cogunt, in quo, poſtquam ſomnum cepe-
rat, circa conticinium expergefactus, de
febre, cum dolore ſiniſtri lateris inter in-
ſpirandum acutiſſimo, conqueritur, mane
accerſor, & en, dolor cum æſtu ingrue-
bant in horas adeo, ut anxietate præcor-
diorum ingenti juxta oppreſſus, geme-
bundus opem meam imploraret, tanta-
que difficultate jam duceret ſpiritum, ut,
haud enim vidi magis! pauco momento
crediderim exſpiraturum.

Protinus ergo adduci jubeo chirurgum
quam proximum, cui advolanti ejusdem
lateris medianam tundendam monſtro:
foramine facto & quidem ſat amplo, ni-
hilo ſecius ſanguis exitum recuſabat, nec
niſi motu brachii muſculari & frictioni-
bus crebrioribus ægre fluebat: donec tan-
dem ℥xx collectæ eſſent. Sanguis detra-
ctus vix quartam partem ſeri oſtendebat:
poſtera luce regimine convenienti ordi-
nato & remediis internis congruis adhi-
bitis, malum claviculam petebat, ter-
tia, ægrum mediocriter afficiebat, quar-
to die & quinto urinam turbidam albida
hypoſtaſi præditam habuit & levamen in-
ſigne ſentiit, ſeſeque ab interitu vindica-
tum prædicavit. Febris deinde evanuit
penitus & dolor indies miteſcens eum
me-

melius ſe habere ſivit, quoad usque decimo quarto ſole prorſus liberatum ſe eſſe, & mihi & amicis faſſus eſt. Excipit hunc



Virgo Jaculenta & præclara virtute & factis, a vitrico, dum viveret urſo, identidem offenſa, aliquando contumeliis ejusdem extreme ſtomachata in leucophlegmatiam, & non porro abhinc refrigerium paſſa, in pleuritidem incidit ſat atrocem. Adducunt medicum quendam moleſte ſedulum, qui, cum triduum continuum currendo potius quam curando conſumſerat, & præter *ſyrupum de Eryſimo Lobelii* & *ſpiritum theriacalem* nihil exhibendum noverat, matrem adegit & filiam ut alio ſe converterent: mittunt ergo ad me, conſilium & auxilium efflagitantes: ut accedo, infirmam deprehendo extreme anxiam, inquietam, æſtuantem, anhelantem, delirantem, noctes inſomnes ducentem, animo deficientem, quid opus eſt verbis, graviter afflictam & moribundæ proximam.

Ubi ergo varia inquiro, & præſertim, cur non maturius me acceiverint, in-

dignor, decumbentis mater, licet alias animoſa ſatis, hic tamen animum vere deſpondens & prioris medici artem inertem gemebunda deplorans, fecit mihi ex proclivo palam omnem rem, opere me orans maxumo, ut, ſi fieri poſſit, lubeat maturare levamen. Interim, dum ego mihi conſilia in animum convoco, & dum conſulo quid agam, catamenia virgini largiter adeſſe, juxta nunciant; quod ideo primum aures perculit in errorisque ſuſpicionem animum pepulit, quod nullum hactenus ſolatium, intuitu inflammationis, ſecum adduxerint: præter hæc etiam purpuræ in pectore & brachiis prodromi una cum obſtructione alvi pertinaciſſima luctum integrabant. Plethorica quidem erat atque haud annos nata præter viginti & quatuor, at venam quæſo, quis excors hic ſecaret? Interea loci, dum de remediis internis cogitare incipio, primulum convenienti laxante diapnoico ventrem levavi: quo facto verſus veſperam reſolvens diapnoicum ſumendo tantiſper opportune habuit, dum, vix fando auditum! terrore ingenti ob incendium prope ortum ita percutitur, ut omnia rurſus turbarentur atque ex ſtatu pejori in peſſimum ruerent, nam catamenia actutum ceſſa-

cessabant, cui infortunio se jungebat quoque refrigerium, quod, cum in aliam & quidem remotam domum, lectica quantumvis munita exportaretur, sufferre cogebatur. Quare purpura vix horæ quadrantem foris extans illico ocyssimeque introfugiebat pectoris aggravationem oppido quam adaugens.

Ego sane in tanta rerum turba & periculo, ubi unum adversus alterum pugnabat, quam viam insisterem errare occœpi, interim tempus maximum erat, pulsus ob animi pathema nihil indicabat, metus tamen suffocationis & ineffabilis pectoris oppressionis usque adeo urgebant, ut, aut vincendum aut moriendum esse, certo scirem: quare impendi curam, ut prius diluentibus atque diapnoicis, (quæ regimini apto juncta, certo respectu in diuretica & emenagoga cedere possunt) amissa restituerentur, omnia extra officere valentia sedulo removeri monens; venæsectionem interim in vespertinum tempus, & donec hæ consilescerent turbæ, prolatandam putavi: cum autem ad præstitutum tempus nihil eorum compareret, nec etiam spes comparendi affulgeret, circa solis occasum venæ sectionem derivatoriam ad uncias octo & quod excurrit suasi,

eaque facta, remediis congruis eidem ad noctem proſpexi & bonum animum habere juſſi: mane, dum ad eam reviſeram, febrem plane aufugiſſe & urinam maxime hypoſtaticam obſervabam, quæ duo levaminis notabilis ſenſus, quoad reſpirationis negotium imprimis, ſequebatur, eam quoque circa gallicinium pauliſper quieviſſe referebant. Poſtridie ejus diei, de dolore obtuſo, quin & pondere in latere laborante quærebatur, ſudorem fere nullum, neque ἀνακάθαρσιν paſſa: Magis ergo mihi curæ erat, magisque afformidabam, ne abſceſſum aut vomicam, hei nullis medicabilem herbis! ageret, inſtiti adeoque diureticis & ſtimulantibus usque quo expectorationem moliri cernerem, cum autem nycthemero elapſo nihil ſequeretur, malum etiam perſtaret, quid opus ſit facto, meditabar cogitate; diluentia ergo prioribus remediis ſtrenue jungo & quidem calefacta, beneficio quorum ſcopum exacte tangebam, ſequebatur enim prius gravedinis ſpecies, mox tuſſiculæ cum rejectionibus purulentis, cruentatis, ponderis ſenſu, alioqui mihi valde ſuſpecti & ſiniſtri ominis, parumper intermittente; Inter hæc, quum appetitus etiam ſe annunciaret, diætam convenientem,

tem, ne mihi moræ ſit in ſanando, ſedulo præcepi, cujus ad conſilii utilitatem cognoſcendam, quum mater æque ac filia omnem haberent aciem, ambæ etiam feſtivam mihi præbuere operam & quam facile ſit imperium in bonis, obſequio prorſus ſingulari abunde teſtabantur, quo factum eſt, ut quinum dierum tractu, propoſitum proceſſerit lepide ex ſententia, & negotium omne ſucceſſerit ſub manus, pectore enim penitus levato, ſuavis eandem ſomnus identidem obrepens, mentis vigorem priſtinum & alacritatem, qua adeo valeret, reducebat, donec tandem ſanitatem plenariam fauſtiſſime reportavit.





Juvenis literatus cholerico-melancholicus ὑδροπότης, robustus, cæteroquin admodum diligens & solers subjectum, vitæ sedentariæ nimium quantum indulgens, hypochondriaci mali prodromos persentiscit, quibus tanquam antidotum efficacissimam motum & potum (quod dicunt) opponere autumat: potat ergo & currit, veluti cervus, per proxima sibi patentia prata & nemora, usque dum in pleuritidem incurrit & abhinc maximum in malum cruciatumque insilit; tum sponte abstinens & lectum excursionibus tam enormibus nolens volens præferens non sine ἀπνοίας metu, anhelans in eum se recepit, ex hac scylla quantocyus eripi se anxie avideque desiderans: adstantes suæ sortis miserti, forte fortuna grandævum & eruditionis prope singularis adducunt medicum, qui, omnibus & subjectum & morbum attinentibus prudenter exploratis atque examinatis, nihil moratus venam affecti lateris incidendam, chirurgo adducto injungit, quo facto, interne adhibitis accommodatis medicamentibus, violentiam morbi non tantum præclare inhibuit, sed

&

& penitus profligavit, adeo, ut duodecima die ex decumbente ortholtadicum fecerit.



Juvenis alius nobilis, valde plethoricus, viginti circiter annorum, tempore autumnali valde humido, quod ſubſtillum vocant, nocte frigida ſimul exiſtente, plauſtro aperto peregrinans, pleuritidem enormem ſibi contrahit, cui, cum forte præſto eſſem, & omnia examinaſſam, quanquam tertius ab invaſione immineret dies, medianam afflicti lateris e veſtigio aperiri juſſi, quo facto, nocte inſequente, melius habere cœpit, & paucis poſt diebus, regimine & remediis inſtructus, pilento, melius contra aëris injurias munito, iter continuavit; unde poſt aliquot menſes redux, ſanitatis recuperatæ nuncium ipſe præſtitit.





Virgo honesta, æquæva, sanguineo-melancholico temperamento prædita, plethorica, menses nec dum passa, εὔσαρκα & asthmatica, vita sedentaria assueta, cæteroquin & lypothymiis tantum non obnoxia, derepente incidit in pleuritidem: ego miseram accedens & omnia exquisite perscrutans, genam adeo affecti lateris ex cæruleo rubentem observavi, id enim tanto luculentius in hoc se manifestabat subjecto, quanto magis a natura, alioquin ipsi haud noverca, vultu egregie florido, &, si colori credendum, sanitatem ipsam referente, donata erat: rebus adeoque sic stantibus, venam medianam lævi lateris, id enim laborabat, actutum incidi jussi, sanguinemque sat larga copia, non tamen ad syncopen usque, quod lethiferum esse, illustriores diligentissime exploratum habuêre (γ), detraxi; nec interne reme-di-

(γ) *Aëtius* tetrabibl. II. Serm. IV. cap. LXVIII. *Aretæus* de cur. acut. morbor. L. I. cap. X. pag. 90. Quamvis *Galenus* Comm. I. in aph. Hipp. (Charter. T. IX.

diis ſalutiferis, id eſt, tam ſubjecto quam morbo convenientibus, ſubvenire feriabar, donec duodecimo ſole, qui ſane parentibus dies feſtus & fauſtus illuxit, ſe penitus convaluiſſe ipſa dicebat.



Uxor mercatoris cujusdam honeſta, ſanguineo-melancholica, habitu corporis ſat robuſto, vitam degens otioſam, præter εὔπεπτα & εὔχυμα, quippe quibus abunde veſcebatur, vino etiam non nihil indulgens, menſibus interim non rite, nec ſine moleſtia procedentibus, a refrigerio & quidem poſt iram, incidit in pleuritidem ſatis atrocem, cui exhibito prius

T. IX. pag. 40.) & de cur. rat. per venæ ſect. cap. XII. (Chart. T. X. pag. 441, 442.) ad animi deliquium usque inſtitui juſſerit, aliique, ut *Boerhavius*, aph. 890. Illuſtris *Svietenius* ad aph. 610. & 890. eum ſecuti ſint, id tamen non promiſcue intellectum voluere, quando ſecundum *Hippocratem* aph. II. Sect. I. ubique attendendum ſit ad regionem, ad tempus, ad clima, ad ſexum, ad ætatem, & reliqua.

prius laxante leniſſimo, venam affecti lateris, tertia quamvis ab invaſione die, aperiri curavi, ubi unciis quindecim eductis, quinta die eventus felix, expectorationibus pituitoſis & purulentis ſat copioſis cum εὐφορία inſequenti ſe manifeſtabat, quibus, ad octavum & nonum usque diem continuantibus, appetitus & vires revertentes ſanitatem plenariam haud procul abeſſe deſignabant.



Mercator quidam cholerico ſanguinea temperie gaudens, & in ætatis flore conſtitutus, menſe Majo, curam lactis ob purpuram ſcorbuticam, qua ſæpius infeſtabatur, a medico ſibi ordinatam ſuſcipit; cum autem in doſi præter modum excedit, &, ut fit, *quando in nimio ſpem ponimus*, integra paropſide per plures hebdomadas haurit, primo gravari corpus, & non porro abhinc horrorem inſignem, quem, ne quid malorum deſit, dolor lancinans etiam atrociſſimus inter reſpirandum præcipue comitabatur, perſentiſcit, æſtu non adeo, quamvis eo

non

non careret, vexabatur: Inter hæc obtrudit ſe neſcio quis idiota, venator, homo impudens & ſtercoreus, vix diurno quæſtu propulſans famen, ob id tamen a plurimis æſtimatus, qui *ſympatheticis*, (artes, vaniſſimi ut æſtimare licet generis,) malum intra duodecim horas facili negotio & leviſſimis impenſis, (quod inprimis ægro arridebat,) ſe curaturum promittit: at, cum nihil levaminis ſequeretur, imo potius malum pedepreſſim & in horas ingrueret, advocor ego, & quia venæ ſectionem, ob tempus jam præterlapſum, exacte indicari non obſervarem, exhibebam prius laxans leniſſimum, quod, ubi ex voto operatum erat, attenuantia cum incidentibus quomodo & lenibus diapnoicis juncta, excipiebant, quibus per duos dies continuatis, cum malum nihiloſecius ingrueret, nullum etiam ſignum procriticum compareret, venam medianam ſiniſtri lateris, id enim affligebatur, incidendam ſuaſi, ubi ſanguine toto fere albicante & cruſtam inflammatoriam affatim oſtendente ad uncias octo circiter educto, malum pauliſper remittebat: inſtiti adeoque remediis accommodatis ad octavam uſque diem, qua morbus ob ingentem

cruditatum copiam recruduit iterum, adeo, ut nona die in peripneumoniam tranſiret tam atrocem, ut animam ageret. Nulla hactenus illuxerat criſis, perlucidum ac tenue lotium, ſudor minus ſufficiens, tuſſicula ſine ſputo, nullum denique ſignum tumoris foras erupturi, nona dies, hæc omnia mihi minus minusque placebant, ut, ingenue fateor, nemo magis ſollicitudinem meam in ſe converterit, quam is ipſe.


Attamen, cum omnia in pejus ruere maxime viderentur, & ego, aut criſin aut mortem inſtare certo ſcirem, naturam laxante, quod per ἐπίκρασιν operabatur, de nocte levavi, quo decima luce parumper melius habebat, verſus noctem vero (δ), quum immanis iſte morbus iterum enormiter recurreret, de novo, laxans meum, paulo aliter tamen compoſitum, & ad ſanguinis diatheſin tenacem magis accommodatum exhibui, & en! undecima die meridiem verſus ſputo copioſiſſimo ſanguinolento & purulento malum ſolvebatur: quam criſin, quum ad

(δ) Quod jam olim *Theodorus Priſcianus* obſervavit Libr. II. cap. IV. It. *Hollerius*, locuples auctor, de morbis internis Lib. I. Lugd. Bat. 1578.

ad decimam quartam diem duraverat, tumor etiam, sub axilla (ε) lateris ante afflicti ingens, magnitudine ovum æquans, excepit, qui, quo nihil aliud miratus sum magis! intra tredecim ab eruptione horas, citra omnem inflammationem, tensionem aut dolorem, perfecte maturatus, &, cum æger brachium forte ageret, sponte etiam ruptus, pus albidum, coctum, spissum, copiosum, plorabat, nec posthæc, quanquam aperturæ sedulo prospexerim, quicquam exhibuit, sed potius squamatim abscedendo evanuit: quo facto, æger, fausto profecto sidere natus, feliciter evasit.

Vi-

(ε) Confer cap. III. hujus partis observationem II.





Vidua juvenis, maxime plethorica, vitæ ſedentariæ addicta, & potum caffee mirum quantum deamans, autumnali tempore refrigerium paſſa, noctu pleuritide corripitur, quo malo tanto vehementius perterrefacta, quo minus eidem unquam obnoxia aut usquam gentium tale quid conſpicata fuerat, medicum quam proximum accerſiri ardentius concupiſcebat, qui omnibus attente & circumſpecte exploratis, ad venæ ſectionem derivatoriam, quantum ejus fieri poſſit, properandum eſſe monebat, ſiquidem menſes, licet æſtus inſignis urgeret, non proruperant; qua deinde peracta, quod probe notandum, dolor claviculam & altera die poſt, ſcapulam dextram (quippe lateris affecti) petiit, poſthæc penitus evanuit.






Poëta felix, juvenis adhuc, alacris & petulans admodum, nullum unquam morbum paſſus, vinum, quod ſuam panaceam identidem compellabat, ultra modum extollens & æſtimans, aliquando inter epulas apud Mecænatem ſuum, cujus in domo æternum ſibi cibum verſibus ſuis ſe comparaſſe ſæpius gloriabatur, vino, in multam noctem, ut fit, oneratus, eodemque probe madens, in hortum, qui ad domum erat, forte abit, ibique in loco remoto ac ſolitario, nemine eum attendente, pronus corruit & tanquam *Lucanus* in hortis, multo mero ſepultus, alte obdormiſcit: mane expergefactus, ſe vomuiſſe animadvertit, & ſic, (ſit venia dicto) ut *Epicuri* de grege porcus, probe ſpurcus, domum hoſpitis iterum intrat, ubi, quum vomitus enormiter recurrerent, ad dictam panaceam, quod jure mireris, denuo confugit: cujus vero aliquot hauſtus *poëtici* horrorem ingentem, quem dolor punctorius in latere dextro concomitabatur, ſibi in-

incusserunt, adeo, ut quanto maximo cursu possent, domum se portari cuperet; quo cum devenerat, lectumque anxie petierat, æstu corripitur tam intenso, ut extra sphæram vagans, tantopere, mirandum dictu! versibus concinnis certaret, ut etiam mihi, cum adstantibus aliquot literatis sermones socianti, & præcipue, qui ad suam panaceam, cujus adversum effectum jam semel expertus fuisset, denuo confugere potuisset, subinde obstupescenti, extemplo

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc tu mane bibas iterum & fuerit medicina

responderet; ego sane, cum omnes qui aderant fere emorirentur risu, mihi etiam temperare non poteram, quin mirarer, quod in corradendis coacervandisque vini laudibus, ne quidem scholæ salernitanæ pepercerit; interim, indicantibus omnibus exacte perspectis & perpensis, venæ sectionem in latere affecto celebrari decrevi, qua peracta, quum malum nondum remitteret, dedi huic erudite deliranti consueta mea temperantia & resolventia congruis aliis maritata, quibus, interpolatis etiam diluentibus cum subjecto,

jecto, tum morbo accomodatis, tam brevi convaluit, ut jam altera hebdomade pegaſum iterum conſcendere potuerit.



Miles glorioſus, πολυπότης & ferox, aliquando inter epulas multo incaleſcens mero, cuidam obloquenti & merita ejus ironice attingenti, eo usque ſuccenſebat, ut, ceu furiis agitatus, adverſarium enſe ſtricto inſectans, in hortum proxime adjacentem rueret, ibique, dum nox non minus ac ira eum viſu privarant, enſe prædicto in ſtipitem quam proximum tanta incurrit vehementia, ut parum abeſſet, quin coſtam quartam dextri lateris, capitulo capuli concuſſam, fregiſſet: interim in terram (ante prælium adeo) extenſus, ſublevatur, & chirurgo, ex nobili caſtrenſium genere, curandus committitur; qui, ſtatim emplaſtris duplicatis & triplicatis contuſioni impoſitis, (quippe, quid enim facilius?) rerum ſuarum ſe ſategiſſe, firmiter perſuaſus, potatum abit: Sed, cum aliquot horas poſt, decumbens ægrius magna ex parte degeret, dolorem inter re-

reſpirandum acerbe lancinantem allegans, denuo ſuum Aeſculapium requirere jubet, qui, cum ſtultior ſtultiſſimo eſſet, ægroto propinat vomitorium, adjecta epicriſi, cruorem intra pectus extravaſatum hoc ipſo, (heu aniles ineptias!) exploſum iri: commodum evenerat, ut noſter, vomitorium vix deglutitum nauſeabundus rejiceret, nec ullus præter hunc ad vomendum conatus amplius inſequeretur, ſecius enim præ cruciatibus interiiſſet brevi: mane me accerſunt & quum omnia intelligerem, ſtatim barbitonſori huic medianam laborantis lateris ſine mora ferire juſſi, qui, poſtquam annuerat, &, quaſi eſſet id quicquam mihi, conſilium etiam approbaverat, mox manuum in ſecando & tundendo dexteritatem & promptitudinem, qua nempe, non inter chirurgos modo, ſed inter illos quoque, quorum hæc ſola virtus eſt, ſe excellere prædicabat, ſtrenue oſtenſurus, ceu alter *Chiron* agere infit, & me jubente, uncias tredecim ſanguinis emittit: quo peracto tertia luce melius habuit & exhibitis balſamicis reſolventibus undecima die criſin per urinam eſt expertus.

Mer-



Mercator triginta & quod excurrit annorum, ſanguineus, vino ſæpicule peccans, pleuritide ex refrigerio tentatus, medicum ex proximo accerſiri jubet, revulſionis fautoribus impenſe adſtipulantem; antequam autem huic obtemperat, abhorrebat enim venæ ſectionem omnem, ſuaſu cognati cujusdam, *alium*, *perſpicacis ingenii*, *ſpectatæ intelligentiæ & expertæ peritiæ medicum*, pro conſilio, ut vocant, adduci poſcit. Qui, cum ægroti ſtatum cognoverat, *derivatoriam phlebotomiam* extemplo proponit, de eaque conſilium, ut ſolemus, cum priori amicum init: At ille, albæ gallinæ filius, non perſpicacis ſed pervicacis ad omnia quæ agitaſſet animi, obſtrepit & conſilium ſalubre temere detrectat: *Alter*, poſthabita omni hujus garrulitate, longam experientiam, ut veritatis optimum teſtem merito præferens contrarium demonſtrat: &, cum alioqui excelſi & heroici animi vir eſſet, qui litigationes omnes, præſertim cum junioribus & ſtultis

tis adoleſcentulis infra dignitatem ſuam exiſtimabat, quæ ab imperito vel affirmarentur vel negarentur juxta æſtimans, ad venæ ſectionem *prædictam*, quum accurato properatoque opus ſit, quantocyus feſtinandum eſſe edicit, eaque facta, quod poſthæc ſæpius miratus ſum, æger protinus levamen inſigne ſentire & in horas melius habere cœpit, donec tandem remediis internis egregie operantibus, jam quinta die orthoſtadicus ad munera rediit.



Virgo honeſta, vento ſat aſpero & injucundo flante, e templo domum pomeridiano tempore rediens, principio quidem nihil moleſti ſentit, adeo, ut etiam cum delectamento ſummo, cupedias varias abliguriens, cœnaret. Poſt illa, lectum petit altumque dormit; circa diluculum vero repente expergefacta & quaſi exterrita, ſe in ſtatu ſibimet ignoto exiſtentem perſentiſcit: ſomnum, cum amplius revocare non poterat, futuri ignara, ſecure omittebat. Die poſthæc appetente, &

& matre ad ſurgendum aliquoties exhortante:

jam clarum mane feneſtras
Intrat, & anguſtas extendit lumine rimas (ζ).

noſtra, erectura ſe cum eſſet, præ doloribus lancinantibus acerbiſſimis, ſemel, iterum, tertiumque recumbere cogitur, nec niſi furtim ſpiritus ducendi potens: Inter hæc mater dolores allegatos primo frivolas excuſationes diverticulaque lectum deſerere neſciæ habens, dum accederet propius æſtumque conſpicaretur atque ſitim, quod ante futile crediderat nunc ſerium exiſtimare occœpit; Injuriam itaque reprehenſionibus & invectivis inutilibus ægrotæ ſuæ illatam, juſculo ex vino cum ſaccharo & aromatibus mangonizato, in deliciis olim habito, deletura, notabilem ejus quantitatem hauriendam offert: qua etiam exhauſta vix horæ quadrante præterito, ægra horrorem ingentem cum æſtu intermixto ſentire atque in horas pejus habere: Mater anxia omnes conſulit homines,

(ζ) *Perſius* Sat. III.

nes, donec tandem, (ut fit,) medicum accersi decernit. Dum autem ratione delectus, animi adhuc penderet, supervenit forte anus fœda, medelam, si modo sibi committeretur negotium, spondens, Venia de hinc impetrata cœpit sterquilinium magmate tam pestiferi fœtoris affectum latus illinere, ut, tametsi balsamum (quidni balsamum?) esse assidue affirmaret, omnes tamen, sola strigosa lamia, amica luto sue, excepta, fugam nauseabundi capesserent: Imo, tres horas post, dum ægra furibundæ similem se gereret, ego accersitus, talem profecto olfeci mephitin, ut omnis stercoris quintam essentiam censerem; adeo putida venefica tantillum aëris puri, quo miseræ puellæ, per dolorum atrocitatem, vesci adhuc licebat, inficere studebat! Protinus ergo, decumbente a veneficæ detestandis sordibus, meo jussu lustrata & liberata, venæ sectione derivatoria posthac facta, sanguinis libram unam circiter educi curavi.

Potionem inde diapnoicam intus exhibendam præscripsi, qua exhausta, altero mane, ex morbo gravissimo se recreatam jucundissime referebat: cum autem

ter-

tertia ab invaſione die pulſuum rhythmos nondum naturales perciperem, nullasque criticas obſervarem evacuationes, ne morbus recidivus ludos mihi redditurus ſit, iterata ex eodem brachio venæ ſectione ei rei prævertendum eſſe exiſtimavi, quam quoque aliquot horas poſt, catamenia, toto morbo nondum viſa, feliciter ſecuta ſunt: quarta die, & quinta, rejectiones purulentæ ſine omni pectoris anguſtia aut reſpirandi difficultate prorumpebant, quibus viſis, decocto pectorali convenienti tamdiu inſtiti, donec decimo octavo die lectum promtius atque olim deſerere matrisqne mandata exactius curare poterat.



Ju-



Juvenis, literarum ſtudioſus, temperamenti ſanguineo-cholerici, immanis helluo, aliquando vernali tempore ſerius juſto domum redit; ubi, hora intromittendi præterlapſa, excluſus, media nocte, per plateas vagans, atque, ut poti ſolent, debachans, ſomno tandem victus, forte in loco ſolitario & remoto, ſub ſuggrundiis corruit, crapulam hoc in antro exhalaturus. Mane, a prætergredientibus mortuus habitus, excitatur, &, vino ſic diſſipato, domum iturus aſſurgit: verum, vix decem paſſus greſſus, reſpiratione privatur, adeo, ut rurſus conſedere & incurvo pectore auram capere cogeretur, portatur inde domum anhelans, ſuſpirans, dolorem capitis & æſtum intenſum allegans, mortem formidans. In lectum conjectus ſomnum denuo capit, quo aliquot horas poſt excuſſo, ſudorem enormem, cum oppresſionibus pectoris ſtipatum, experitur, dolore inſuper in latere dextro ad medium usque dorſum, quoties ex imo ſpiritum du-

ducere vellet, graviter afflictus, ad me mittit. Ubi advenio, mox chirurgum venæ ſectionem derivatoriam exerciturum poſtulo. Tum, ſanguinis libris duabus fere eductis, æger illico reſipiſci, adeo, ut altera luce non niſi certis intervallis punctura quaſdam levioris momenti nunc inter nunc extra reſpirandum perſentiſcere ſe perhiberet. Ordinabam ergo diſcutientia quæque huic affectui apta, omni bihorio, dumne malum recrudeſceret, largius continuanda. Tertio die omnis fere doloris ſenſus aberat, licet nulla criſis neque per pectus, nec cutis colatorium, neque urinam comparuiſſet; quarta die optime habuit, adeo, ut circa veſperam ſubiret prolubium fiſtulam Nicotiana fartam incendendi, qua per feneſtram exporrecta, aura ſimul ingrata & ſibi potiſſimum inimica ſpirante, Nectar illud (nam potus dici nequit) ſugere inſit. Aliquanto poſt autem in dorſo tenſiones primo, mox puncturas inſpirationem vehementius ſufflaminantes denuo experitur, quæ, cum pauco graveſcerent momento, ægrotum acerbe excruciando eo redigebant, ut hypocauſto calefacto ad fornacem, meam opem anxie avideque expectans, ſe collocaret: Ubi adſum, con-

tinuo locum affectum oleo Pulegii cum decima fere parte olei Anisi mixto externe probe fricari & superimpositis linteis mollioribus, eum in finem calefactis, foveri curans, potione diaphoretica, perpusilla resolventis fortioris quantitate armata, intus danda, resolutionem properare intendebam. At enim, quum septem horas post nondum remitteret malum, ægrotum, ultra modum impatientem, illo *Ovidii*

- - - - - *Voti postmodo compos eris* (*n*).

solari non destituebam, & ex eodem brachio venæ sectionem reiterans tantum obtinui, ut æger, dum sequenti die ad eum reviserem, nunc demum animum remigrare sibi ingenue fateretur: sexta & sequentibus diebus jam animus in patinis erat, ubi paulo parcius se posthinc commessaturum spopondit.

(*n*) *Ovidius* Lib. I. de Art. amandi v. 486.



Mi-



Miles generoſus, quadraginta & quod excurrit annorum, cholerico ſanguineus, athletici habitus & omnes potandi artes edoctus, autumnali tempore, noctibus jam pruinoſis exiſtentibus, probe potus, curru aperto, iter ſuſcipit. Ubi, cum interdiu non minus incaleſceret quam noctu frigeſceret, & perpetuo heluando, omnis generis cereviſias indiſcriminatim ingurgitaret, factum eſt, ut, cum quinta ageretur dies, matutinis horis, ſub dio adhuc degentem, horror, propemodum epilepticus, & æſtus, proxime inſequens, una cum vomitibus, tam copioſis, ut quatuor aliis ſuffeciſſent, inceſſerint. Hoſpitium tandem diu deſideratum attingens, avide lectum petit, ibique æſtu longe pejori afflictus, tam ferociter delirat, ut, ceu ebrius adhuc eſſet, omnia confringere & demoliri crudeliter minaretur: tum famulo, quicquid arripere potis eſſet, in faciem conjiciens, dolorem, quem perſentiſceret, lancinantem, tam atrociter deteſtabat, ut, quum accede-

 rem,

rem, energumenum me visere, haud injuria crediderim. Interim, cum omnia cognoveram, curavi, quo hoc hominis resipisci iterum queat, eamque ob rem statim ad venæ sectionem derivatoriam, sat larga copia celebrandam, festinare edixi. Qua facta, temperantibus atque resolventibus morbo tamdiu resistere studui, donec sudores copiosos, eosdemque criticos, circa initium sexti diei, cum levamine, prorumpere cernerem. Post illa, diluentibus & diapnoicis paulo uberius propinatis, naturæ nutum sustinui; & quanquam nona die malum videretur parare reditum, id tamen sine metu suffocationis factum, & clysmatibus aliquot accomodatis atque decoctis fortius resolventibus exhibitis undecima die, nec sputo, nec urina critica prodeuntibus, malum penitus evanuit. Ubi notandum, quod, morbi hujus tam felix & unica tantum venæ sectione impetratus exitus, evacuationibus epacmasticis, per superius guttur habitis, præcipue tribuendus sit, beneficio quarum omnis cruditatum affluxus, qui venæ sectionem necessario insecutus fuisset, primis levatis viis fieri haud potuit: Verum, evacuationes prædictas arte imitari aut medicamentis ciere

auctor

auctor ſuaſorque eſſe nollem, niſi forte in eadem, qua hæc factæ, morbi periodo, videlicet, ante doloris lancinantis acceſſionem & hinc dependentem ſufflaminatam reſpirationem ſimile quid conari volupe ſit, quod probe tenendum, ne quis turpiter impingens famam ſauciet.



Vidua juvenis, temperamenti ſanguineo-melancholici, menſe Martio, cœlo ſudo & miti aura molliter ſpirantis auſtri usque eo allectatur, ut tandem ſubdola hac amœnitate mire capta, extra urbis pomeria deambulatum exiret. Cum autem continuo gradiendo incaleſceret, & mox inde ſudaret, verſus veſperam admodum frigidam, cœli clementia diutius juſto detenta, aliquanto ſerius urbem revertens, refrigerio opprimitur ſenſibili ſatis, quod ſtatim oppreſſiones pectoris inſequebantur; At enim ad cœnam vocata cum eſſet, nec eo ſecius edit bibitque quicquid occurrebat aut offerrebatur, imo, cum *verecundari neminem apud*

menſam deceat (9), vino Hiſpanico bene ſibi facere non deſtitit. Poſthæc autem dormitum ituram horripilationes per totam dorſi ſpinam excurrentes inceſſunt, quas etiam excipiebat æſtus tam intenſus, ut aliquot menſuras aquæ vivæ frigidiusculæ epotaret. Quo facto, altera die nihil quidem, quod moleſtum dici mereatur, ſentiebat; at ſanam ſe eſſe, dicere nequibat, imo noctem verſus reſpiratio intercipiebatur & quidem repentino inſultu. Meam ergo dum implorabant operam qui aderant anxii, venam ſiniſtri brachii, quod latus nempe laborabat, actutum incidi juſſi, & libra una cum ſemiſſe fere educta interne diſcutiens quoddam exhibui. Quod autem, cum potentius juſto agere inciperet, quandoquidem de vino, ante largius hauſto, nihil quicquam mihi innotuerat; potionem refrigerantem, tantillo anodyni conditam, præſcripſi, qua etiam altero mane pauliſper liberius reſpirabat: tertia die, continuatis prioribus remediis, ſudorem continuum habuit, noctu perpauxillum quievit; quarta autem luce, omnia, extra ſo-

(9) *Plautus* Trinumm. A. II. Sc. IV.

ſolum ſudorem, qui tamen mediocris eſſet, aufugerant, ut ægra lectum jam deſerere cuperet, verum pulſu nondum confirmato hisce halcedoniis non nimis fiſus expectavi quo eventurum eſſet; inter hæc autem, cum ſeptima luce omnia, ob tempeſtatis frigidæ imprimis ac humidæ rationem, recurrere viderentur, propere ex eodem brachio, & quidem baſilica inciſa, ſanguinis uncias decem fere & octo educi juſſi, internis deinceps convenientibus remediis, etiam noctu, quando uſus poſceret, dandis, ſtrenue inſtiti, donec nona die ſputa purulenta copioſe apparuerunt, quæ cum ad decimum tertium duraverant diem, ſponte emanentia ægrotæ & pectus & pulmones levatos pariter atque evacuatos reliquerunt.





Virgo formoſa, duos & viginti annos nata, a noverca torva & canino rictu omnem venuſtatem allatrante identidem offenſa, tam fœdiſſimis aliquando injuriis & contumeliis ſub ipſo catameniorum fluxu ab ea increpatur atque obruitur, ut illorum ſuppreſſionem ſemeſtrem incurreret. A quo tempore faſtidio ciborum, anxietatibus præcordiorum, reſpirandi difficultate, præſertim in aſcendendo ſcalas aut acclivia loca, miſere fatigata, tandem incidit in febrim, qua, a neſcio quo, utcunque curata, catameniorum fluxu nec dum comparente, in leucophlegmatiam delabitur. In quo ſtatu valetudinario aliquot menſes conſumens repente pleuritide corripitur maxime ſuſpecta. Me dum acceſſunt ægrotantis cognati, (patrem namque amiſerat miſera,) & anteacta cuncta referunt, eam ſtatim, ſi fieri poſſit, unguibus lupæ iſtius eripi conſulto; quandoquidem ad ſolum ejus aſpectum ægram odio invincibili & iracundia prægravi continuo prehendi, cuncta

cta perſpeculans, aliquoties obſervabam; imo, cum hoc ipſo morbum perpetuo ali, ſpaſmis ab ira ortis bileque hinc inflammatoria reddita, plus ſimplici vice edoctus eſſem, propoſitum urgebam.

Facta igitur, quam conſulueram, ſejunctione, remediis primo internis convenientibus morbo occurrere ſtatuebam, iisdemque ad tertiam usque diem continuans, cum parum me profuiſſe cernerem ad venæ ſectionem derivatoriam confugiebam, & en, non diu poſt, ægra pectus pondere graviſſimo quaſi preſſum nunc levatum prædicabat, quibus animadverſis incidentibus perpauxillo anodyni impraegnatis curam continuavi.

Hæc diutino tempore ſic agebantur, cum menſes nondum prorumperent & ægra integre ſanam ſe eſſe affirmare haud poſſet: viginti dies poſt pleuritide recidiva tentatur, quod partim ſanguinis eductioni, propter malum complicatum, minus legitima & competente quantitate factæ: partim etiam catameniorum pertinaci ſilentio tanto rectius tribuebam, quo certius eam omnis alius erroris inſontem ſcirem.

Quare, ægra miſerrime ſe habente & ægritudinis levationem ſummis votis ex-

poſtulante, dum pulſus mihi egregie indicabat, ſtatim ad alteram venæ ſectionem ejusdem lateris proceſſi, eamque remediis congruis ſecundare occœpi.

At enim cum die ſequenti levamentum rite ſuccedere haud viderem, tertiam venæ ſectionem eodem in brachio e baſilica inſtituendam decrevi, quam demum ſolamen inſigne veram ſpondens ſanitatem inſecutum omnibus, virgini bene cupientibus, gaudium perenne, mihi, applauſum ſolennem peperit: remediis deinde aperientibus & reſolventibus mediocri doſi ulterius inſtiti, usque dum indies ſanitatem creſcere & firmari magis ac magis ſentiret. Hiſce omnibus ad ſeptimam decimam usque diem perſeverantibus, dum aliquando veſpera ſuadente cubitum concederet, menſibus ſubito comparentibus, ad ſanitatem plenariam rediit.



Uxor



Uxor mercatoris cujusdam honeſta, ſex & viginti annorum, ſanguineo cholerica & ad iram prona, quintum gravis, ad ſe ut viſum venirem me blande rogari jubet. Ubi eam convenio & examino, in pleuritide cubantem deprehendo, ideoque reliquis omnibus ex ratione reſpondentibus iisdem fere remediis, quibus olim citra omnem phlebotomiam, eam ſemel me levaſſe memineram, ad morbum extinguendum diem unam & alteram uſus, nec eo ſecius parum vel nihil me proficere indignabundus videns, protinus ad dolentis lateris venæ ſectionem inſtituendam chirurgum accerſitum iri cupio, ubi unciis fere duodecim ſanguinis eductis, ſtatim cruſtam albam inflammatoriam conſpiciebam, eamque ob rem denuo uncias ſex circiter effluere ſinebam, quæ licet idem oſtenderent eo tamen me non induxerunt, ut pulſu nunc contradicente plus exſilire permiſerim; vena poſthinc per chirurgum rite ligata, internis remediis reſolventibus

 &

& balſamicis materiam peccantem per urinam & ſudorem penitus exturbavi.




Juvenis litterarum amans, ad malum hypochondriacum diſſipandum cum commilitonibus in pagum quam proximum potatum exſpatiatur, ubi, cum tardius juſto reditum pararet, noctu in ſuburbiis diu vagatus tandem cum ſodalibus in diverſorium recipitur, in quo haud ſane pulvillis pluma delicata ventoſe tumentibus incumbendum erat, cum ne lectus quidem pulvinaribus communibus inſtructus ſtratusque hoſpiti ſupereſſet. Interim continuo eundo & ambulando feſſi laſſique amictu nullo exuto veſtiti ut erant, indormiunt. Die poſthac illucente noſter expergefactus, inſueto dormiendi genere indignatus, ſudorem ſibi & refrigerium, duo contraria ſimul, eſſe, ſentit; Sole autem plus plusque appropinquante urbem petit atque domum; quo, cum devenerat, laſſitudines primo artuum, mox vertiginoſas acceſſiones & paulo poſt æſtum, mediocrem licet, nanci-

ci-

ciscitur. Hæc & alia complura sanitatem vacillantem arguentia symptomata per diem unam & alteram passus, quinto sole circa secundam vigiliam æstu violentissimo sitique intensa repente corripitur. Postridie, inspirationem quoque sufflaminatam anxiamque imo dolorosam allegabat, quæ diem integram continuando, hespero emergente magis impendioque gravescens ægrum tam misere afflictabat, ut, jam vitam despondens mortisque candidatum se credens me accersi cupit. Ubi eum convenio, triste profecto conspiciebam spectaculum, me enim vix allocutus purpuream vomebat animam. Quod tanto vehementius displicebat mihi, quanto frequentius ejusmodi symptomata ominosa ut plurimum, felicem raro concessura exitum, certo scirem. Interim, sanguinis flumine omnis generis refrigerantibus atque sedantibus remediis cohibito; de venæ sectione, propter copiam profusi sanguinis hærebam anceps, satius ducens, si anodynis exhibitis vasorum oscula jam præclusa firmare conarer. At enim, cum duodecim horas post, pulsus nihilosecius frequens & asper maneret, quinimo rhythmos subinde ingeminans recidivi insultus

adventum minaretur, ægerque, dolore amens, altum exclamaret, tristia quæque prævenire summæ mihi erat sollicitudini: Quamobrem ad venæ sectionem derivatoriam, cum properato sit opus, festinabam, & mediocri sanguinis quantitate emissa, quietum reddidi, nullam amplius hæmoptoen expertum. Post illa dedi temperantia interpolatis anodynis, quippe quæ sanguinis acredo, qua abundabat, ferre potis erat, iisque tam diu continuavi, usque dum rejectiones purulentas fauste prodire, sanguinisque grumosi reliquias, puris sub specie recte abscedere viderem: harum namque promovendarum gratia sepositis prioribus, diluentia nunc, becchicis convenientibus maritata, exhibenda præcepi, donec undecima die ægrotum sanum deserui.





Hortulanus ſexagenario proximus victum laborioſè ſibi & vultus ſui ſudore quærens, pleuritide periodica perſæpè obnoxius fit, quam radice Gentianæ rubræ, in pulverem inpalpabilem redacta, & interne ſumta, continuo repulit.

At enim eadem denuo correptus, non ſpuria quidem ut ante, ſed vera, eam, radice ſua æque depulſum iri ratus, hunc in finem aliquot doſes deglutit, ubi autem tres horas poſt æſtus & capitis dolores tam enormiter ingraveſcerent, ut etiam cerebrum, ni brevi ſuccurreretur, fiſſum iri crederet, me in auxilium vocant; re igitur intellecta non mirabar ſane febris tam excedentem violentiam ut etiam pulſus gangrænam haud procul abfuturam denunciaret; nam ſanguinis maſſa jam per morbum in citatiorem conjecta raptave motum, uſu acris hujus atque potentiſſime reſolventis remedii adhuc ſuperveniente, ut circuitus celeritas geminetur, ſecius fieri qui poſſet? Igitur, cum res ſubitaria eſſet, ad curam feſti-

nans,

nans, venæ ſectionem derivatoriam continuo inſtitui, quam poſt, remediis internis ſeditionem iſtam ad internecionem fere redactam, componere ſtatui. Altera luce melius habebat, quod potiunculis temperantibus a me datis præ ceteris acceptum ferebat, licet eas venæ ſectionis virtutem ſecundaſſe potius, quam aliquid novi præſtitiſſe non ignorarem. Poſthæc, cum tertia die ægrotum tuſſi frequenti, omnis rejectionis aut ſputi experte, laborare animadverterem, nolui occaſionem amittere tam bonam, ſed bechicis, balſamicis reſolventibus impraegnatis, hac & ſequenti die, dumne aliquid accideret triſtius, continuare præcipiebam; quibus effectum, ut pedetentim ſecretiones & rejectiones pituitoſæ procederent, usque dum die nona malum penitus evanuit.





Aurifaber triginta novem annorum, cholerico-melancholica temperie, valetudine tenuissima atque infirma, mense Augusto, quod jure mireris, in pleuritidem cadit, quæ post varia domestica εὐπόρισα incassum usurpata, tertia die, vehementius longe ingravescens, decumbentem medici opem implorare cogit; qui tamen ratione delectus non ita scrupulosus, quam proximum conveniendum avet: cum autem proximus non semper sit optimus, adducitur Agyrta, nequam hominis & nebulo magnus, qui, nunc sesquipedalibus, nunc phaleratis verbis mirum quantum hominibus imponens & ingentium peregrinationum jactatione crassam ignorantiam infucans, quamvis cum sycophanta in *Trinummo* (ı) verius dicere potuisset:

Advenio ex Seleucia, Macedonia, Asia atque Arabia
Quas ego neque oculis neque pedibus unquam usurpavi meis.

con-

(ı) Act. II. Sc. V.

confidentiam tamen plebis, transmarina quæque ſuſpicientis aucupari egregie callebat. Ubi comparet morbumque videt, mox periculum omne floccipendere malumque ipſum, ſibi ignotum contemnere, quin mira temeritate deridere: interim ægroto nihilo ſecius miſere degente, ille, quo ne in verbis ſolis acquieſcere videretur, lepidam invenit ſycophantiam, commiſcendo nempe electuarium narcoticum, quo dolorem ſimul lenire, ſimul & morbum pertinaciorem reddere: veſperam verſus, cum omnia redirent ferocius, ſcelus viri propinat ſpiritum ſalis ammoniaci aniſatum quater de die cum vino ſumendum; & tum videres ægrotum ex ſtulto inſanum factum, atque adſtantes vana ſpe fruſtratos morbi contemtorem viciſſim contemnere & medici genuini opem implorare. Qui etiam, ſtatim atque acceſſerat, venæſectionem dolentis lateris urgebat, eaque rite & largiter peracta, ſolis fere diluentibus morbi impetum egregie ademit: ſequenti mane, cum pulſus adhuc indicaret ad recidivum inſultum arcendum, iterum ex eodem brachio libram ſemis circiter educi jubet, quo facto, quinta & ſexta die liberius reſpirare poterat, ſeptima luce ali-

quan-

quanto ægrius quidem ſpiritum ducere videbatur, ſed criſis, paulo poſt per urinam comparens, omnes diſſipabat moleſtias, ut ſequentibus novem diebus, a morbo penitus liberatus, exſurgeret.



Caupo quidam, ex eorum, qui decocti Caffee & infuſi Theæ præparatione cluent, tribu, pleuritide cum febre juncta decumbit, ad quam expellendam circulatorem quendam tunc temporis de nundinarum queſtubus ſuam partem quoque trahentem & apud ſe crebro divertentem conſulit: Ille, horæ momento morbi non modo impetum ſublatum, verum & totum quantum funditus radicitusque evulſum iri, compoſito ad fallendum ore, impudentius quam verius, (quo enim quis indoctior eo impudentior,) pollicetur.

Quibus ſane promiſſis, ſi morbi verbis cederent, ægro dubio procul convaleſcendum fuiſſet, at cùm medicamenta requirebantur, merito expectandum erat; Catapotiam igitur ex draſticis purgantibus conflatam, forte quod ſtulto jacenti Helle-

leboro opus eſſe ſibi videbatur, porrigebat, cujus poſt deglutitionem ſemihorio nondum præterlapſo tantis corripitur cruciatibus & ventris torminibus æger, ut quibusdam momentis exſpiraturum putarent. Non diu poſt tantæ ſequebantur purgationes ut totam diem & noctem jugiter ac omni momento fere dejiciens, ſanguinem tandem ſincerum excerneret: Quo eventu exterritus & in extremam virium diſſolutionem atque hinc dependentem mortiferam imbecillitatem conjectus æger, ne cum morbi radicibus & vitæ reliquiæ forte evacuarentur jure pavebat horrebatque.

Talia & complura alia ejusmodi compertus, ſæpius miratus ſum, qui tanta vecordia innata cuiquam eſſe poſſit: qui tam ſtolidæ mentis, altioris adeo ſubſellii, homines (de hoc enim nihil dicam,) naſci queant, ut, ceu vero nulla genuinam medicum adeundi copia foret, ejusmodi nefario homicidæ

— — — Quem neque pudet
Quidquam: nec metuit quemquam: neque legem putat
Tenere ſe ullam (*).

ſe

(*) *Plautus* Adelph. I. 2.

ſe ſuamque vitam tradere, credere, committere, nec dubitent, nec vereantur?

Interim, cum vana ſpe ductum ſe eſſe non alieno ſed proprio edoctus eſſet periculo, Hellebori ſtupenda operatione non quoad morbum ſed quoad mentem vere ſanatus ad legitimum mittit medicum, qui hanc inſtantem internecionem & crudelem interemtionem, celere auxilium flagitantes, nunciarent: Ille vero ſtultitiæ hominum magis, quam merebantur, miſertus, curam ſuſcipit & remediis aptis euporiſtis partim, partim pharmaceuticis alvi enormem & ob ſummam debilitatem atque virium proſtrationem vix ullo modo coërcibilem, tandem ſiſtit. Tantum tamen aberat, lateris dolores ut paululum remiſerint ut non potius fixiores longe hinc redditi, pertinacius duraverint.

Igitur medens, cum venam ſecare hoc in caſu non dicam periculoſum, ſed mortiferum fuiſſet, phlebotomiam prolatat, ſatius ducens, ſi interea nervinis idoneis & leniter reſolventibus ſuccurreret.

Sic die ſequenti & præſertim tertia omnia miteſcere, vires quoque paulatim recurrere.

In quo rerum ſtatu cum ſeptem dies conſumſerat æger & morbus jam depulſus

vi-

videbatur, denuo repente & quidem æque graviter ac antea decumbentem invadit, tum medens, ratione phlebotomiæ derivatoriæ incertus conſilii titubans quidem, ob morbi tamen atrocitatem plus plusque invaleſcentem nec eo ſecius ad eam pergere conſtituit, qua decenti quantitate peracta ægrotum feliciter reſtituit.

Ubi notari fas eſt, quam parum omnes ex aliis a parte affecta diſſitis locis factæ ſanguinis evacuationes proſint, ut etiam tale, ſanguinis ex meſaraicorum & venæ portæ ramificationibus largum profluvium, morbum ne pilum latum movere potuerit.



Trapezita melancholico cholericus, quinquagenario proximus, pleuritide tentatus, præ avaritia autem, qua nempe anteibat multis, ad diem usque tertium, cruciatus omnes, ſtupenda contumacia & obſtinatione perfert toleratque, nec niſi tum demum, quum cymbam Charontis adventare videret, medicum poſcere ſecum conſtituit. Qui tandem adductus omnia rite perpendens alvum ſeptem

tem dies occlusam reserari primo ordinat, tum ad venæ sectionem derivatoriam perrecturus, ab ægroto, sumtus omnes abhorrente & nescio quam antipathiam vitio sordido prætexente, proterve impeditus, stultum, salubre consilium detrectantem, recte deserit. Post hunc familiares me accursant, quantum in me sit situm, auxilio ut animam efflaturo venirem efflictim petentes, ubi advenio, eumque conspicor, Hei mihi qualis erat! sedebat in lecto incurvus, gemens, ejulans, insaniens, anhelans, auram non aurum clamans. Tum pulsu adhuc indicante reliquisque omnibus ex ratione respondentibus, antecessoris propositum serio sustineo, &, cum maturato sit opus, sine mora, per chirurgum medianam affecti lateris venam tundi & sanguinis libras fere duas educi curo, quo non solum levamen insigne sentire cœpit, sed & remediis intus datis intra paucos dies sub ipsa rejectionum purulentarum eruptione solis bechicis persanatus superstes mansit.

Quam celerem simplicemque reconvalescentiam præcipue sanguini suo minus oleoso, minusque spisso, hincque ad resolutionem subeundam longe proniori alio,

lio, tribuendam duco: erat enim ad nauſeam usque temperans abſtemiusque, adeo, ut divitiis parcens, famem ſæpenumero miſeris fallere modis haud quaquam erubeſceret, quam *avaritiæ nihil nefas* (λ) ſit, impudenter oſtendens.

Ut igitur mirum non ſit, quod ſanguine tam tenui raroque exiſtente eundem hominem, jam ante id tempus, maturius tamen accerſitus, citra omnem venæ ſectionem pleuritide enormi levaverim, tam cito enim ſtimulantibus & reſolventibus obſequebatur malum, ut etiam ſingulæ doſeos effectum evidenter ſentire & indicare potis eſſet.

(λ) *Curtius* L. IV. c. X.





Sartor melancholico sanguineus, quadragenario major, adeo macilentus & tenuis, ut & ventum metueret, nec eo secius ira quandoque excandescens, aliquando bile atra percitus domum rediens, morbo futuro præversurus lapides cancrorum in pulverem redactos cum Rob Sambuci subactos devorat: vesperi multum consequitur sudorem cum æstu intensissimo: altero mane etiam puncturas in medio dorso vehementissimas sentiebat, quæ pomeridianis horis in lævum latus cedentes tam atrocissimos ibi producebant dolores, ut se convelli putaret: doloris ergo, & hujus præcipue impatiens, sibi ipsi tamen consulere posse stulte persuasus, priorem panaceam denuo proferri poscit, de eaque aliquot bolos sat grandes, sudores novos expectaturus, deglutit, qui tamen, mirum dictu! emanebant, doloribus interim plus plusque invalescentibus noctu præter opinionem sanguinem ructat: posthæc, & quidem sequenti mane, dolores prædicti e latere sinistro sub mam-

mam ſiniſtram, & non porro abhinc in latus dextrum migrabant idque totum eo usque occupabant, ut etiam ab extra ruborem & inflammationem manifeſto conſpicere liceret. Tum chirurgum adduci cupit, qui temere ſatis curam ſuſcipiens venam malleoli dextri incidit, atque ſanguinis quantitatem mediocrem emittit, citumque levamen more ſolito ſpondens abit, ſed reditus immemor, quandoquidem eventum minus proſperæ medicationis ſiniſtrum, jam per tertium inaudierat; quare me expetunt atque ad jacentem ducunt, quem ubi in ſtatum peſſimum revolutum deprehenderem, & ſputo cruenta ſilentia, oppreſſiones contra pectoris ingruentia, tum autem dolores lateris extreme urgentes venæ ſectionem derivatoriam utcummaxime indicare animadverterem, ſine mora eandem fieri, indixi; poſteaquam alvi ſegnitie pertinaciſſima clyſmatibus anodynis correcta, reſolventibus deinde intus exhibitis, quo eveniat, expectabam: at enim ſexta & ſequentibus diebus malum non amplius erat. Hic reſolutiones ſtaſium in ſcorbuticis, quibus ſanguis viſcedine non nimium ſcatet, quæ diatheſis noſtro fuit ægroto, ſola ſæpe venæ ſectione derivatoria ſucce-

cedere, annotavi, quando nimirum ſalia inquilina reſolutioni per ſe faventia, depletione proxime facta, materiem impactam ad loci mutationem æque diſponunt ac urgent.



Faber ferrarius duodequinquaginta annorum, vir robuſtus & laboris tolerantiſſimus, cholerico-ſanguineus, circa ſolſtitium autumnale, in uſtrina, dum ferrum igne canderet vel cum Vulcano cudendo certans, ad largiſſimum usque ſudorem incaleſcit, cum circa crepuſculum in vicinia tumultus repente exoritur, atque is, ne ſupparo quidem munitus viſum excurrit, ibique, dum ſemihorium ſpectando fere conſumſerit aura gelida ſpirante refrigerium incurrit, adeo, ut jam domum revertens quædam reſpirationis impedimenta acciperet, quæ noctu ingraveſcentia, febre juxta oborta, miſerum miſere anxere: uxor quidem emplaſtro therebinthinato pectori ejus ſtulte impoſito ſuccurrere tentabat, at incaſſum, altero mane enim, dum malum longe pertinacius, quam

ut emplaſtro cederet, deprehenderent, medicum conſulunt rei peritum, qui rebus intellectis, venam affecti lateris ſine omni exceptione tundendam præcepit, & poſthæc lenibus diaphoreticis per aliquot dies continuando maximam partem ægrotum ſublevavit. Cum autem naturam non per diapnoin ſed ſputum morbum exturbaturam animadverteret, tuſſiculæ etiam aliquanto violentius urgerent, prioribus jungit bechica ſuperaddito perpuſillo laudani liquidi Sydenhami, ad ſpaſmodicas pectoris contractiones non minus atque tuſſim illas magis exaſperantem mulcendam, quibus remediis interpolatis ſubinde diluentibus ſeptima die morbum plane eripuit.





Miles gregarius ex ordine Dimachorum, ſex & triginta annos natus, vir robuſtus & quadrata ſtatura, cæteroquin omnivorus & multibibus, ægrotat & pectus præter modum anguſtari ſibi ſentit, quod, cum in horas augeri obſervarent præfecti, chirurgo ſuo curandum tradunt; qui etiam ſine mora venæ ſectionem & quidem dextro e brachio exercens, variis poſtmodum remediis internis curam tentat.

Inter hæc quoque eſſentiam Succini (forte quod nihil aliud habebat) haud parca doſi exhibet, ubi, poſt aliquot doſes ſat habiles exhauſtas, non ſolum peſſime ſe habere, ſed & doloribus lancinantibus ſiniſtri lateris ad tergus usque impenſe torqueri ſe cruciarique refert, noctu delirat & veſani hominis inſtar ſævit.

Centurio deinde meam imploratum mittit operam, quid chirurgus deliquerat me compenſare rogans; ubi accedo, venam affecti lateris actutum incidi curo, &

temperantibus pariter atque incidentibus ordinatis, quorſum ſit evaſurum, diem unam & alteram expecto: die quinta non ſolum deliria & mentis alienationes longe lateque aufugerant, ſed & dolores maximam partem ceſſabant; cum ergo criſin ſexta die per urinam probe ſuccedere cernerem, eſſentiam urinariam anodynam adjectis infuſis eodem ſcopo deſtinatis uſurpo.

Inter hæc accidit, ut, cum hora ſumendi ſuperveniret, unus e commilitonibus ægroto de meo medicamento propinaturus vaſculum chirurgi ſupradicti, neſciens quid, cujas ſit, arriperet, ex eoque decumbenti aliquoties ingereret. Nec mora, cum ægrotus quartum ſumſerat, æſtu intolerabili & inflammatorio fere oppreſſus æque ac olim extra ſphæram vagans nugabatur; qua repentina imo inopinata mutatione ſane ſtupebam, cauſam hujus accidentis nunquam conjectaturus, niſi commodum meum medicamentum integrum fere adhuc offendiſſem. Creſcebat inter hæc malum in horas, nullis temperantibus quoquo modo agentibus reſinoſæ huic vehementiæ paribus exiſtentibus; dolores priores oppoſito in latere exorientes tam atrociter ſæviebant ut re-

ſpi-

ſpirationem continuo abrumpendo ægrotum ſtrangulato ſimilem redderent.

Quare ad phlebotomiam hujus lateris properare decernebam, eaque facta, trihorio vix præterito cuncta ſilebant; ſequenti die, cum in educendo ſanguine multibibo competentem quantitatem non ſervaveram, novosque inſultus, debiliores licet, ludos tamen mihi forte reddituros adfore ex pulſu intelligerem, iterata ex eodem loco venæ ſectione eis prævertí, & præmemorato medicamine iterum pergens criſin per urinam cohibitam denuo reſtitui; quæ cum per quinque integros dies ſecundo amne fluere continuarat omnes quascunque impuritates & hinc inde hæſitantes quisquilias ſecum rapiens morbum penitus eduxit & extra corporis pomœria ejecit.





Musicus paganus, quadragenario major, sanguineo-phlegmaticus, qui sæpe longos canendo meminebat se condidisse soles, raro sobrius, nam diem noctemque continuare potando horum nulli probrum; dum aliquando æstate maxime torrida nuptiis interesset, hymeneum gaudium cum sodalibus per integrum quatriduum jugiter augens strepitu tandem, circa diluculum finito, somno consopitus in angulo quodam domus apertis fenestris & januis crapulam edormiturus corruit; inter hæc subsolano continuo flante & omnia solis æstu perusta refrigerante, hic etiam, quasi per ustionem Zythi irrigationibus non cavisset, suam accipit partem, atque pleuritide stertens opprimitur, somno deinde excitus præ suffocationis & mortis metu fere exanimatus, gemens & clamans auxilium flagitat: adstantes forte adducunt barbitonsorem, pene dixerim bardum, proxime viciniæ habitantem, cui ægrotum tradunt curandum: Is, ex æstu solenni vel cum omni vetula fe-

febrim augurans, licet pleuritidem ne per ſomnium quidem viderat, incertæ famæ tamen, præcipue quoad venæ ſectionem in febribus inſtituendam, cum alicubi forte captaſſet auram, commodum in lateris dolentis brachium incidit, ex eoque unam & alteram ſanguinis libram emittit, verum, ubi ſequenti die malum recrudeſcere forte videt, (nec mirum, ſi nullis aliis remediis curationem cœptam ſecundare ſciret,) exhorruit facti ſtultus, & ſuam venæ ſectionem innocuam accuſans ægrotum ut perditum deſerit. Poſthæc me conveniunt, ubi accedo, & rhonchos enormes moribundi haud abſimiles & proin parum fauſti canentes, audirem, ſtatim reſolventia incidentibus potentioribus maritata exhibeo, & poſtmodum infuſo theiformi anodyno & discutiente identidem epoto, externe quoque ex herbis amaris & camphoratis potenter reſolventibus atque diſcutientibus, ſacculos calide applicari curavi, ubi hora nondum elapſa, jam meliuſcule habuit: Pomeridie dum veſperam verſus æſtum inſignem morbumque ex parte revertentem obſervarem, ex eodem brachio & quidem baſilica vena, libram ſemis tantum ſanguinis emitti, & altero mane

clyſma anodynum exhiberi juſſi, quibus tertia die a morbo ſe liberatum prædicabat: quarto autem ſub oppoſiti lateris ſcapula moleſti quid ſentit, quod, quinta die, priſtinum locum, dextrum nempe latus, rurſum occupans, ſexto etiam & ſeptimo perdurans non quidem ea vehementia, qua ante, reſpirationem ſufflaminabat, ſed tantum, aliqua impedibat, donec octavo die, verſus noctem, rejectiones purulentæ, aliquot dies continuantes, morbi exitum annunciabant: ubi toto hoc tempore medicaminibus ſuperius allegatis, nunc parciori, nunc largiori, prout res poſcebat, doſi, exhibitis, quarto decimo ſole penitus convaluit & munus alios ad ſaltationes usque exhilarandi denuo ſubiit.





Juvenis duodetriginta annos natus, temperamenti melancholico-sanguinei, medio autumno ex pleuritide decumbit. In tempore autem meæ traditus curæ, post aliquoties reiteratum & stimulantium & temperantium usum, sequenti die venam medianam affecti lateris incidi præcipio, ubi libris duabus fere eductis prioribus continuavi remediis, quibus quidem aliquantisper recreari se animadvertebat: sed tertia die, cum recrudescere mihi videretur malum, venam ejusdem brachii basilicam secari & libram unam circiter emittere chirurgo mandavi: quo tempore sanguis emissus notissimam illam crustam inflammatoriam, lacteam dictam, manifesto ostendit. Cæterum, quoniam alvum segnius succedere mihi referebant, per epicrasin laxans propinavi, posthinc resolventibus balsamicis materiæ stagnantis reliquias dissipaturus, hisce pharmacis ad nonum fere perseveravi diem, donec decima luce, crisi largissima per urinam secuta, & ad quartum decimum usque

diem durante, morbus penitus emigravit.



Pediſſequus viginti trium annorum, temperamento præditus cholerico ſanguineo, autumnali tempore, hero, ante palatium, ubi convivabatur, ad mediam usque noctem præſtolans, cum aliis ejusdem furfuris ſodalibus, circumducendi temporis gratia, joculans & colluctans ſudorem contrahit notabilem, quem, hero ſubito comparente, cum pone pilentum aſcendendum ſibi eſſet, ob repentinam corporis quietem & ventum ſimul adverſum flantem, momento ſupprimere coactus, refrigerium enorme & ad interiora usque penetrans, patitur.

Altero mane, lectum ægre deſerit & licet more conſueto inter familiares verſaretur, languide tamen munera exequebatur: die tertia inopinato febrit & poſt, neque ita multo, delirat; etiamſi dolores lateris ſiniſtri acute ſatis lancinantes, juxta acceſſi, decumbentem ad recordationem ſui identidem revocando, intervalla lucida darent.

Adducunt medicum non indoctum, qui indicantibus omnibus rite collectis ſtatim ad venæ ſectionem derivatoriam feſtinandum eſſe edicit, eaque ſat larga quantitate celebrata remedia interna convenientia præſcribit: poſtridie, ut malum nondum intermitteret, remittebat tamen adeo, ut hac ſanguinis eductione conquieſcendum eſſe haud inepte cenſeret medens, verum, ubi nocte ingruente malum quoque ingrueret, atque periculum in mora eſſet, ex eodem vulnuſculo necdum conſolidato, denuo libram integram chirurgi ope adhibita effluere ſinit, quo deinceps matutinis præcipue horis ægrotus levamen notabile ſentire & pauliſper quieſcere: donec tandem continuato & incidentium & diaphoreticorum uſu, ſeptima die criſin per urinam cum abſceſſu ſub ejusdem lateris axilla maxime tumido, procedentem expertus eſt; denique omnibus ex voto ſuccedentibus & præſertim abſceſſu poſt ingentem puris copiam eductam, rite purgato & conſolidato viceſimo ſole citra omne ſputum aut rejectiones purulentas a morbo & præſentiſſimo vitæ periculo liberatus, ad munera rediit.



Fœmina duodetriginta annorum, ſanguineo-cholerica, robuſta, tertium gravis, ſude vapulat, & in latus ſiniſtrum ad coſtam decimam & undecimam ictum accipit tam enormem, ut etiam vibex ſat grandis inde oriretur, nocte ſequenti torminibus ventris & colicis doloribus miſere cruciatur, quibus ſedatis ſuccedunt vomitus bilioſi, frequentes, adeo, ut de abortu proquinquo merito pertimeſceret: verum, ubi mane ſequenti hæc ceſſaverant, circa veſperam alvi corripitur fluxu tam ingenti, ut ſanguinem quoque excerneret, non diu poſt init eam febris, qua fortiter incenſa, omnis alvi fluxus ſponte ceſſabat, quin dicam in alvi obſtructionem degenerabat, quinta die ſuccedebant dolores lancinantes, quæ in medio dorſo incipientes atque ad latus ſiniſtrum, priusquam idem occuparent totum, pertendebant: commodum evenerat, ut in tam lubrico & ancipiti caſu medicum præclaræ offenderent peritiæ, qui, poſtquam paulo hæſitarat quid opus

ſit

ſit facto perpendens, tandem decidens, non obſtante illius graviditate quinquemeſtri, non obſtantibus evacuationibus καὶ ἄνω καὶ κάτω perpeſſis, non obſtante ajo, ſanguinis per inferius guttur quantitate jam amiſſa, ſolum conſulens pulſum, viresque vitæ intuens, ad venæſectionem derivatoriam ſapienter feliciterque properavit, & dolorum lateris violentiam ejus beneficio compeſcuit. Neque hac unica acquieſcendum ſtatuit, ſed potius, cum ſequentibus diebus cephalalgiis pariter atque cordis palpitationibus, pertinaciter inſtantibus, decumbentem plurifariam fatigari animadverteret, e re fore omnino duxit, ut ad alteram pergeret, qua etiam ex eodem brachio inſtituta ſymptomata cuncta infringebantur, adeo, ut de nocte pauliſper quieſceret ægra: poſthæc medens, cujus dum ad præſcriptum agerent, & decumbens loco ſuo morigera eſſet, remediis internis convenientibus, intra paucos morbum profligavit dies.





Ancilla urbana, e pago quodam per nemus ad urbem usque tendens, media æstate circa crepusculum, solem non tam cito se conditurum rata, reditum, non obstante itinere duarum fere horarum, sola, inconsiderate suscipit. Verum ubi in medio saltu nocte atra opprimitur neminemque hominum amplius offenderet, solitudinem horrescere prius, mox se solam esse vere intelligens, timorem concipere tam enormem, ut etiam capillus rigeret: citato itaque cursu cum omni lepore certans, viam pergit, donec tandem jam provecta nocte urbem & domum examinata madensque metu pervenit, ubi, præ siti fere moriens aqualiculum quam proximum arripit, quicquid inesset exhauriens. Quod experimentum cum aliquoties reiterare non dubitaret, interdum enim

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. (μ).

ali-

(μ) *Ovidius* L. I. Fastorum.

aliquanto poſt punčturas quasdam reſpirationis actum nonnihil intercipientes & inhibentes perſentiſcit: ſed nihil mali ominans lectum corpore adhuc madente petit, ubi, ob temporis æſtivi rationem pariter atque ſanguinis exagitationem violentam ſub ſtragulis ſe continere neſcia ad gauſape quoddam confugit, ſub quo, remoto omni alio velamentorum genere, lubenter & brevi, ut ſolent, obdormiſcit. Mane expergefacta vehementer æſtuat, lectum tamen ex more deſerens meridiem verſus de capitis doloribus admodum quam ſe excruciantibus conqueritur, adeo, ut veſperi æſtu inſigni denuo accedente lectum petere adacta, nocte inſequente maxime deliraret, quin dicam inſaniret. Statim ergo medicum, qui ædibus eorum propinquus accolebat, conſulunt, atque ad ægram ducunt. Ubi accedit, febrim quidem extemplo cognoſcebat, at dolorem lancinantem noſcere non poterat, quippe quem inſaniens ægra, animo in nemore errans, ipſa ignorabat, hinc reſpirandi difficultatem pro anxietatibus præcordiorum quamplurimis febrium ſolemnes habens, nullamque inflammationem, quam tamen pulſus rerum gnaro facile indicaſſet, arguens, meris tempe-

ran-

rantibus intus datis morbum tranquillatum iri ratus, venæ ſectionem tam neceſſariam differt atque in tempus omittit: verum, cum altero mane aliquantiſper ad ſe rediret ægra, tum audires, quomodo lamentabatur miſera, cruciatibus enormibus ſiniſtro in latere pene oppreſſa medici opem implorans: quæ cum ad medentem referrentur, illico affecti lateris phlebotomiam inſtitui curavit; quam etiam levamen, præcipue quoad pectus atque dolores confeſtim inſecutum eſt, tertia luce intra ſcapulas circa quartam & ſextam dorſi vertebram puncturas ſe perſentiſcere, citra tamen reſpirationis notabili impedimento, perhibebat, quæ ſequenti die hinc illinc vagantes & vacillantes evanuerunt tandem; tuſſicula deinde crebriori ſuperveniente rejectiones quædam purulentæ morbum plane ſolverunt, adeo, ut viceſima die ſervitiis rurſum intereſſe potuerit.





Rhedarius equum apud fabrum ferrarium soleis muniri curans, dum unum e cruribus posticis more solito elevat fabroque calceandum porrigit, equus repente subsiliens, & calcitrans hunc, quantumvis quadratum & robustum hominem tanta excutit & in lapidem prope adstantem illidit violentia ut totum sibi pectus collisum contusumque crederet: sublevatus etiam ægre respiraret & brevi post, dolorem dextro in latere sentiret, quo tamen insuper habito sequentem diem sic tenuiter quidem degit, sed tertio illucente dolore præmemorato nec dum cessato, febre tentatur acuta, respiratione anxia, mortiferæ accedente, imo & deliriis.


Hæc, dum ita geruntur, herilem implorant medicum & ad miserum misere tactum ducunt, qui etiam re omni intellecta venæsectionem dextri brachii e vestigio præcipit ad eam omni festinatione properandum esse imperans. Verum, cum per negotia huic actui interesse non posset,

poſſet, relicta inſtructione quanti ad chirurgum, plurium ægrotantium ſatagens abit.

Chirurgus poſthæc adductus, ſe ſolum eſſe & primas tenere intelligens, ægrotum, haud ſecus ac equus eſſet, ſanguine emungere infit, quam deteſtandam phlebotomiam, ubi lypothymias & ſyncopes terribiles invicem alternantes inſequi: pectoris porro oppreſſiones, decumbentem in lethi fauces certo certius præcipitaturas, creſcere videt, ceu nihil feciſſet, culpam in medici præceptum vertere impudenti mendacio ſtudet; imo, quo medici præſentiam, quam nempe horrebat, effugere poſſit, hoc hominis nervinum quoddam domi ſe quæſiturum cauſans, corripuit ſe illico & aufugit.

Medens itaque denuo adductus, hanc chirurgi nefariam ſtoliditatem deteſtans ægrotum vix, ac ne vix quidem, levatum iri ſperabat: Attamen cum nil intentatum virtus generoſa relinquat, cordialibus convenientibus tamdiu ſuccurrere conatur, donec, iisdem per integrum diem crebro continuatis, parvam, quæ adhuc reſtabat, vitæ ſcintillulam ab extinctione plenaria ægre revocabilem eo usque reſuſcita-

taret, ut materies ſtagnans ob virium vitæ enormem jacturam fere immeabilis facta, nunc ſenſim ſenſimque reſoluta ad loci mutationem ſubeundam diſponi pedetentim ſe pateretur: nam quarta luce æger non ſolum facilius ſe reſpirare, ſed & dolorem antea fixum ſub ſternum citra tamen reſpirationis turbamentum migraſſe referebat, quo in loco, cum diem unam & alteram moraretur, ſeptima & ſequentibus diebus urina purulenta tota fere exiſtente, febris dolorque diſſipati ægrotum vires amiſſas ſenſim recuperare & ſanitatem perfectam indipiſci ſiverunt. Patet hinc, quam circumſpecte & caute venæ ſectio in quibusdam morbis uſurpanda, copiaque educendi ſanguinis perpetuo ad ætatem, vires, vitæ genus, clima, morbi ipſius impetum & ſic porro probe metienda & ordinanda ſit, ne quod uni ſaluti fuit, alteri venenum fiat.





Bajulus, annos natus magis quadraginta, diem unam & alteram lecto affixus, de febre cum anxietate præcordiorum, ut uxor ejus meum petitura auxilium referebat, conquerebatur, ubi advenio & omnia examinarem pleuritide ægrum eſſe deprehendebam, qua propter maxime quod plethoricus erat, ſtatim affecti lateris venam tundi & ſanguinis libram unam cum ſemiſſe effluere conceſſi: ubi dimidio horæ nondum exacto ſtatim reſpirandi facilitatem & dolorum remiſſionem indeptus æterno ſopori ereptum ſe fatebatur: cum igitur ad ſe rediret, & ego medicamentis idoneis morbum exigere operam darem, ſudor enormis noctu præſertim decumbentem invaſit, quem quoque ſputa cum urina critica inſecuta ſunt, ut adeoque tribus foribus morbum erumpere cernerem; poſtea loci in id modo incubui, quo triga hæc criſium rite abſcederet nullaque ſubſidia clanculum relinqueret, quem in finem reſolventibus atque diureticis, interpola-

tis

tis bechicis & diluentibus ad plenariam usque mali exſtirpationem inſtiti.

Semeſtri præterlapſo denuo in hunc peſtilentem relabitur morbum, & quidem tanta vehementia, ut morti occumbere videretur: quo periculo attoniti me abſentem cum incaſſum quærerent, forte fortuna in alium egregie doctum & ob id mihi amiciſſimum incidunt medicum, qui omnibus intellectis illico ocyſſimeque ad venæſectionem derivatoriam pergit, poſtmodum remediis internis malo occurrens, quo abiturum ſit, expectat: altera luce malum quidem nunc remittendo, nunc intermittendo, nunc recurrendo vacillabat, plane vero auffugere recuſabat. Ne ergo triſtius forte priori impetu ſpectaculum editurum ſit, veſperi, novam oppoſito in latere inſtituit venæſectionem, quoniam priorem venam jam ſauciatam novo vulnere irritare jure horreret, qua quidem venæ ſectione, præmiſſa licet derivatoria, ſi nihil nocuerat, nihil etiam profecerat, adeo, ut ad tertiam & quidem e priori rurſus brachio, venam quam proximam extantem atque tumentem eligens, recurreret, ubi ſanguis eductus ita pituitoſus & albidus comparuit, ut vix unquam talem ſe vidiſſe teſtaretur; horæ

deinceps momento malum ad ſenſum decreſcebat, donec tertia die poſt ægrotum plane deſeruit.



Agricola die ventoſo & pluvioſo in agro laborans atque tecto ſero demum veſpere ſuccedens, capitis doloribus præter modum violentis vomituque non diu poſt enormiter quatitur, & noctem plane inſomnem delirans transegit; altero mane dum vomitus reverterent, pomeridianis horis dolores ſiniſtri lateris acute pungentes cum oppreſſionibus pectoris & reſpirandi difficultate junctos, poſt ſe relinquentes abibant: noctem cum ſemivivus ſuperaſſet, familiares chirurgum quendam accurſant caſtrenſem exauctoratum & exoletum, omnibus, & egentibus & non egentibus venæ ſectionem maximopere commendantem, eumque ſine mora adducunt.

Hic, ſane neſciens, quid contueretur ex improviſo venam brachii dolentis lateris incidens, ſanguinis quantitate utcunque conveniente educta, ægroto ſolamen

men inſigne attulit, quo facto, hunc ſtipitem deum fere colebant, ut mos eſt vulgi, perpetuo ea, quæ ſtulto ſuccedunt, præ illis, quæ doctus præſtitit, longe lateque extollentis & admirantis. Interim ſudorifero triviali atque decocto radicis armoraciæ improbi ſaporis & odoris, ægrum ob vitii ſimplicitatem & aëris ſanioris rationem reſtituit.



Veredarius quinquagenario proximus, temperamenti cholerico-melancholici, ægrotat, & quid ſibi ſit, quidque patiatur, ignorans, ſubluxationem coſtarum ſe incurriſſe ratus, varia ridicula remedia adhibendo prodeſſe ſibi fruſtra conatur: Tum forte medicum implorat, qui ex febre atque doloribus pleuritidem veram a qualibet cauſa productam adeſſe recte augurabatur; hinc ad illam depellendam lenioribus aperientibus & ſtimulando incidentibus, quippe quibus ſolis morbum non raro cedere, ne uni noſtrum notum, utitur. Sed, cum biduo elapſo morbus nondum exceſſurus videretur, ſine mo-

ra, medianam ſiniſtri, ut dolentis lateris, aperiri curat, & ſanguinis quantitate legitima educta, prioribus ſtrenue inſiſtendo remediis, tantum effecit, ut dolores trihorio poſt claviculam, mox dorſum petentes non porro abhinc ad lumborum vertebras deſcenderent, ubi poſtquam plane evanuerant, die ſeptimo urina maxime turbida & critica exiſtente pleno rivo emigrarunt.



Villica undetriginta annos nata, ſummo mane urbem itura, præ moliendo & discurrendo domi jam incaleſcens, currum tandem conſcendit, ubi, dum quietem ſubit repentinam, cui & matutini temporis, quantumvis æſtivi, uda tamen & ob antelucanos flatus frigidiuſcula ſe jungebat ratio, quam præterea dies ſequebatur admodum pluvioſa, ut, cum ſero demum veſpere ſibi redeundum eſſet, refrigerium ingens miſeram ad intima usque corporis penetralia occuparet: ſequenti die incidit in diarrhœam, quam poſt, neque ita multo, febris inſeque-

ba-

patur cum anxietate præcordiorum inſigni, quæ omnia tamen tertio die ſolius naturæ ope per ſudorem largiſſimum diſſipata abierunt. Quinto die punctura in tergore, libera tamen reſpiratione, animadvertit, quas ideo primum inſuper habebat, præſertim cum ſeptimo jam non amplius eſſent ſole. Verum decima a refrigerio die (ut ſæpe ex una microcoſmi plaga in alteram migrant morbi!) dum mane e lecto ſurgere molitur, reſpirationem mirum quantum abbreviatam, eandemque paulo poſt puncturis exquiſitiſſimis ſtipatam experitur: malo igitur exterrita, mihi eam viſenti referebat, ſe non ſecus, ac ſi ſpinam grandem dextro in pectore infixam gereret, excruciari, opem interim auxiliumque anhelans. Ego quidem ex primo obtutu de cauſis procatharcticis non rite certior factus, quando jam ante decem refrigerium fuerat factum dies, & hæc gens ſecura, errores atque peccata ſua, non dicam obliviſcatur, ſed ignoret, quid opus ſit facto ambigere occœpi: præcipue, cum præter febrim, jam ante aliquot dies exterminatam, nihil, ſive commiſſi, ſive paſſi, allegare ſciret; dubitabam itaque, utrum adſtringentibus cohibita fuerit

febris, an crisis quædam errore suppressa, an novus per se existat morbus: quandoquidem in priori casu pleuritis, ut δευτεροπάθικη consideranda, longe diversam, atque in posteriori, popoſciſſet sanationem.

Dum ergo hæseram anceps & sedulo inquirendo morbi conditionem detegere tentabam, marito juxta in hunc usque diem suam nihil usurpasse remedii sancte testanti; obiter forte pluviosæ tempestatis, ubi se male habuerat, meminebant, quo, refrigerium, morbi causam primariam sensim paulatimque elicuimus. Nunc ergo, cum clarum esset atque perspectum, pleuritidis fomitem jam in priori adfuisse febri, modo ut eum locum, e quo pleuritis proprie traxit nomen, nondum occupasset, sed potius inter musculosas contignationes vagatum, neque certo in loco dominatum, quod puncturæ priores respirationis negotium nullatenus lædentes satis superque ostendebant, reliquæ evanuerunt dubitationes. Cum primum ergo morbum πρωτοπαθικὸν esse animadverterem, viresque, quod maximum, non fractas, venæsectionem affecti lateris confestim exercere jussi, qua facta, tum quoad febrim, tum quoad respirationem, meliuscule degit. At ubi sequenti die & quidem

ve-

veſperaſcente cœlo omnia iterum dilaberentur, malumque angeret atrocius, ut etiam patronus, qui aderat villæ, homo æque indoctus ac inſulſus meam venæſectionem improbare non vereretur, illo ad ſutorem *Apellis* relegato, mox alteram venæſectionem ex eodem brachio inſtitui præcepi, quam poſt, ſequentibus duobus mediocriter habuit diebus, quinto autem a nupera invaſione die, qui decima quarta a refrigerio erat, denuo ſupervenit diarrhœa tam enormis, ut ne horulam quidem ea vacaret; quæ ſexta die & ſeptima continuabat, non quidem citra omnem virium jacturam, critica tamen & ſalubris. Inter hæc, cum de ſalute ægrotantis ad unum omnes deſperarent, pejore rem loco eſſe non poſſe, quam in quo nunc ſita eſſet, aſſeverantes, & ego non obſtantibus omnibus hiſce tremendis ſymptomatibus intrepide ſanitatem divinarem, mirabantur ſtulti, qui tam peſſima rerum conditio me terrere non poſſet; At enim vero me omnino terruiſſet, niſi pulſus & reliqua ſigna ſalubria aliud ſpopondiſſent: nam appropinquante nona die penitus convaluit: a quo tempore in ſcandalum cenſoris egregie ſervata & ſanata vivis etiamnum intereſt.

* * *

Virgo ruſtica, εὔσαρκα, valentula, ſanguinea, viginti quatuor annorum, poſt choreas in multam noctem protractas, potum frigidum avide ingurgitat, altero mane febrem cum pleuritide junctam voluptatis mercedem oſtendit. Sed cum poſt varia domeſtica εὔπορισα, a domina inutiliter ſibi devoratum data remedia, malum nihilo ſecius infixum immotumque maneret, me tandem conſulunt. Ubi accedo & omnia diligentiſſime perſcrutor, menſes, quod mirabar, non aderant, nec, quum altius inquirerem, unquam adfuerant, quando ſe nunquam, Heu beata incuria! ad id attendiſſe nobis referebat: præmiſſis ergo præmittendis derivatoriam venæ ſectionem inſtitui juſſi, & ſanguine ad uncias duodecim circiter extracto, reſolventibus pariter atque diſcutientibus, ſobrie tamen, inſtiti, donec undecima die, & quidem ſub ipſa menſium eruptione largiſſima convaluit, nullum ſputum aut rejectiones purulentas paſſa.

Ju-



Juvenis agrestis inter arandum ab equo calcitrante, dum frenum elapsum prono corpore relevare tentat, in latus dextrum infeliciter percutitur, sanguinem tamen, quod in istiusmodi casibus sæpenumero accidere observavimus, nec vomit neque spuit, postquam animum iterum collegerat, de respiratione in latere tacto valde dolorosa, querebatur, cui etiamnum febris, ceu individuus comes, accedebat, anxietates insuper præcordiorum, alias infausti ominis ac pene inauspicati exempli, parum boni præsagiebant: ego interim, casu fortuito, & quidem per eundem pagum peregrinans, miserum, lecto deserto, in terra sese volventem, & auram liberam, ceu piscis aquam, non sine circumstantium commiseratione inutili licet, anhelantem contemplans percontor in causas, & mox, dum malum recens erat, per chirurgum quendam castrensem, eo loci degentem, venam percussi lateris medianam tundi præcepi, ægrumque remediis necessariis in-

inſtruxi, qui triduo poſt, cum ad me mitteret, urinam purulentam & quidem cum ἀφρίᾳ ſe excernere ſimul nunciari juſſit, promovi hancce criſin omnibus modis, donec decimo die ſe penitus ſanitati reſtitutum eſſe, ſponte faſſus eſt.

Ex quibus facile erit, pleuritidis veræ cum plethora junctæ & per venæ ſectionem affecti lateris fauſte propulſæ experimenta cognoſcere, ut non opus fuerit plures hic hiſtorias aut obſervationes addere: Plura tamen qui deſiderat, adeat *Duretum* commentario in *Hollerii* praxin: *Hildanum* Centur. obſervationum: *Horſtium*, *Foreſtum*, *Trillerum* in eorum obſervationibus.


Quæ cum ita ſint, nullatenus nos movent, quæ *Julius Cæſar Scaliger*, *Geſnerus*, aliique in revulſoriæ venæ ſectionis patrocinium adducere fuerunt anniſi, quum non negemus eandem, *ſerius* licet & *minus evidenter*, interdum tamen prodeſſe poſſe: quod autem derivatoriam nihil prorſus auxilii præſtitiſſe contendant, partim odium adverſus eam conceptum olet, partim, quum non attenderint, utrum indicantia aut contra indicantia ſimul adfuerint, negligentiam haud condonandam indigitat; ſiquidem neminem

la-

latet, quinimo obſervatum certe experimentoque obvium eſt, venæ ſectionem quamlibet, contra indicantibus vel ignoratis vel ſpretis adhibitam, non ſolum obeſſe, ſed & lethiferam futuram exiſtere: a remedio autem optimo & ſalubri, inconſulte ac præpoſtere adhibito, ad ejus abrogationem nulla valet conſequentia, quando abuſus uſum non tollit, neque, ſi exemplis odioſis certandum foret, nobis deſunt hiſtoriæ funeſtæ ſatis revulſoriæ venæ ſectionis apud *Hildanum* (ν), *Trillerum* (ξ) aliosque.

C A-

(ν) Centur. V. obſ. X.
(ξ) Lib. cit. in Hiſt. ægroti III. & IV. pag. 80 & 81.





CAPUT V.

Cautelas quasdam circa derivatoriam venæ ſectionem in Pleuritide adhibendam tradens.

CORONIDIS loco monuiſſe juvabit, pleuritidem veram non ſemper phlebotomiam, egregii licet uſus, poſcere: quandoquidem & citra eam curationem ejus quam commodiſſime ſæpenumero abſolvi, neque fabuloſum neque novum eſt.

Et enim jam olim *Hippocrates* (α) aliis interne propinatis remediis eundem profligari morbum edocuit: quem deinceps *Aſcle-*

(α) De vict. rat. in morb. acut. Lib. II. Text. XI. XII. XIII.

Asclepiades (β), *Galenus* (γ), *Paulus* (δ), *Aëtius* (ε), *Alexander Trallianus* (ζ), *Oribasius* (η), aliique in re medica summe versati viri, sequuti sunt: Neque nostris defuere seculis medici excellentes, qui idem non modo tentarunt, verum & rationibus validissimis innixi suffultique feliciter præstarunt: quos inter præ cæteris eminent *Sylvius* (θ), (magnum illud Belgiæ sydus) *Gesnerus* (ι), *Dominicus la Scala* (κ), *Amatus Lusitanus* (λ), *Valeriola* (μ), *Leonhardus Fuchsius* (ν), *Ludovicus Septalius* (ξ), *Joh. Rhodius* (ο), *Za-*

(β) Apud Cæl. Aurelianum in Asclepiade.
(γ) Comment. II. ad dictum *Hippocratis* locum. It. Comment. III. in VI. Epid. Charter. Tom. IX. pag. 472.
(δ) Libr. II. cap. XL.
(ε) Tetrabibl. II. Serm. IV. cap. LXVIII.
(ζ) Lib. VI. cap. I.
(η) Lib. ad Eustathium filium.
(θ) Prax. med. Lib. I. cap. XI. §. 26.
(ι) Epist. I. Lib. IX. fol. 17.
(κ) Phlebotomia damnata, cap. 14. pag. 247. & 248. Patav. 1696.
(λ) Centur. VII. Cur. 28.
(μ) Lib. IV. obs. IV. It. Lib. VII. obs. VI.
(ν) Lib. cit. pag. 98.
(ξ) De Pleuritide pag. 171.
(ο) Analect. in Lib. VII. curat. med. pag. 340.

Zacutus Luſitanus (π), *Abraham Nehemias Luſitanus* (ρ), *Heurnius* (σ), *Hildanus* (τ), *Joh. Michaelis* (φ), *Piſo* (χ), *Ettmullerus* (ψ), *Boerhavius* (ω), *Svietenius* (α), pluresque ad miraculum eruditi viri, qui, nunc diapnoicis & ſudoriferis, nunc reſolventibus, nunc per ἐπίκρασιν catharticis, nunc per ἀνακάθαρσιν operantibus, nunc incidentibus, nunc diluentibus aliisque hiſce geminis, absque ulla ſanguinis miſſione malum radicitus & cum omnibus reliquiis averruncarunt atque extra corporis pomœria penitus proſcripſerunt: Quod etiam, ut rite fiat, ob viſcerum vitalium vicinam tanto exquiſitius attendendum, quanto facilius inflammationis tragœdia ex tumore inflamma-

(π) Hiſt. P. P. med. in comment. Hiſt. 89. It. Lib. I. Hiſt. P. P. med. in comm. Hiſt. 77.
(ρ) Meth. med. per ſanguin. miſſ. pag. IV. Venet. 1591.
(σ) De morbis pectoris cap. II. pag. 44. offic. Plantin.
(τ) Cent. II. obſ. 31. & alibi.
(φ) Prax. clin. P. I. Lib. III. cap. VI.
(χ) Tract. de colluvie feroſa pag. 228.
(ψ) Colleg. pract. pag. 333. Francof. ad Moen. 1688.
(ω) Aphor. 886, 887, 888, 889.
(α) Tom. III. comment. ad hæc loca.

mato in ſcirrhum aut apoſtema abſcedendo cataſtrophen ſuam non raro ſortiatur, adverſum quos, qui eam fortunam inciderint, plerique medici ſe medicos non inveniunt.

RATIONES autem, quibus compulſi, venæ ſectionem omiſere, in contra indicantibus probe & ſedulo attendendis perſpiciendisque continentur, quorum turba exercitatiſſimos non raro medicos, antequam certo decidere queant, etiam atque etiam divexat: Nonnunquam enim ætas, ſexus, vires, vitæ genus, clima, diathesis viſcida mucoſa plethoram veram ſubinde mentiens (β) cacochymia, cachexia, excretiones variæ atque diverſæ, ſive conſuetæ, ſive inconſuetæ, ut hæmorrhagiæ narium (γ) uteri atque menſium hæmorrhoidumque fluxus

(β) Quo in caſu reſolutionis cauſæ, in viribus vitæ poſitæ, hac ratione removentur, ut *Hambergerus* Diſſ. cit. perſpicue ſatis docet; & ante eum *Alexander Trallianus* Lib. VI. cap. I. expreſſis edixit verbis: *Non temere ſanguinem mittendum, nec niſi exquiſite didiceris, humorem, qui inflammationem pepererit, copioſum eſſe, & in toto corpore ſuperare.*

(γ) *Lotticbius* Lib. III. cap. III. obſ. III. *Foreſtus* Lib. XVI. obſ. 36, 37. It. Lib. XV. obſ. 35.

xus (δ), ἀνακάθαρσις, sudor largus (ε), urina hypostatica (ζ), alvi fluxus (η), si sufficienter & cum levamine eveniant, venæ sectioni obstant adeo, ut spreta vel ignorata mortem inopinam cieant: Præter hæc etiam diagnosis morbi ipsius multum subinde facessit negotii, ne spuriam (ϑ), aut inflammationem vel apostema hepatis ut *Gordonius* (ι), *Ettmullerus* (κ), aliique complures, diligentissime exploratum habuere, vel uteri inflammationem (λ) aut etiam ipsam peripneumoniam cum ea confundamus: Neque

(δ) *Forestus* Lib. XV. obs. 35.

(ε) *Valeriola* cap. IV. obs. I. *Valerius* Lib. I. obs. 4, 5. *Ferdinandus de Ferdinandis* Hist. XIII. *Amat. Lusitanus* cent. I. cur. 7.

(ζ) *Schenckius* Lib. II. obs. 98, 99. *Borellus* cap. I. obs. 17.

(η) *Zacutus Lusitanus* Pr. Lib. II. pag. 303. It. Lib. III. obs. 116.

(ϑ) *Archigenes* apud Aëtium Tetrabibl. II. Serm. IV. cap. ult.

(ι) Lilio medicinæ Part. III. cap. VIII. fol. 206. Paris. 1542.

(κ) Loc. cit. pag. 332.

(λ) *Ludov. Mercatus* Lib. II. de Mulierum affectionibus cap. XVII. pag. 605. *Joh. Varandæus* de morbis & affection. mulierum cap. VII. pag. 140, Lugd. 1619. 8vo.

que minus temporis ratio, utpote quod in iſtiusmodi celeriter decurrentibus morbis repente præterlabitur, attentionem omnem meretur, præcipue quum hominum maxima pars, partim ignorantia, partim (quo in caſu tamen volenti non fit injuria) ſtudio ſervandæ pecuniæ ſordido, medicum mature non poſtulent: & quanquam non neſciamus *Hippocratem* (μ) Anaxioni octava demum die ſanguinem detraxiſſe, *Praxagoram* (ν) quinto, imo & inter noſtros *Hildanum* (ξ) doctiſſimum, ſeptimo, *Trillerum* (ο) quinto, ſexto, ſeptimo, quin etiam octavo phlebotomiam inſtituiſſe die, id tamen, cum ad rariores pertineat caſus nullam parit regulam, licet ab ipſo *Hippocrate* (π), haud inconſulte fuerit factum, ſiquidem ſecundum ipſius doctiſſimum decretum: *in acutis morbis ſanguinem detrahes, ſi vehemens morbus videatur; florueritque ætas, & virium adfuerit robur.* Cui ſententiæ adeo, & quidem merito, favet *Galenus*

(μ) Epidemicorum III.
(ν) *Cæl. Aurelianus* loco citato.
(ξ) Cent. V. obſ. 30.
(ο) Lib. cit. cap. II. §. XV.
(π) Loc. cit.

nus (ρ) ut eandem dignum prorſus *Hippocrate* ſermonem, in paucis verbis vim magnam comprehendentem appellet (σ).

Dies porro decretorii, quales dicuntur numero impares, ut *quintus*, *ſeptimus*, *nonus*, *undecimus*, *decimus quartus*, *viceſimus*, ob criſes proxime inſtantes, omnino contra indicant, quamvis & hæc regula ſuas patiatur exceptiones, atque nomen iſtud numero paribus interdum competat diebus, quando ſecundum *Heſiodum* (τ).

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε [illegible] μήτηρ.

Interdum noverca eſt dies, interdum mater.

Attendendum etiam ad criticos motus, criſesque ipſas, num eluctentur, num adſint, num rite & ſufficienter procedant, nec ne, & per quale corporis co-

(ρ) In comm. ad dictum Hipp. locum. It. Lib. IV. Meth. medendi cap. VI.

(σ) Confer *Abrah. Nehemiam Luſitanum* loco ante citato.

(τ) Ἔργων βιβλίον in fine.

colatorium exitum ſibi parent, ubi, ſtatim ac aliquid comparuerit, protinus & omnis exulat venæſectio, remediis potius internis convenientibus illac ſuccurrendum: quod ſi quis *Hippocratem* latuiſſe exiſtimet, turpiter hallucinabitur. Neque negligentius corporis ſuperficies contuenda, num in ea intumuerit quicquam faſtigieturque & abſceſſum agat, qui nec irritandus, nec reprimendus, ſed omnibus modis promovendus eſt: Etiam dolor pleuriticus deſcendens, venæſectionem omnem vetat, ubi *Hippocrates* (φ) alvum reſerari ſatius judicavit, quo per inferius guttur, materia peccans, cum ſponte inclinet, rejiciatur.

Graviditas quoque repugnat (χ) licet *Timæum van Guldenklee* (ψ) gravidæ ultimo menſe venam ſecare haud veritum fuiſſe,

(φ) Lib. II. De vict. rat. in morb. acut. Text. II. Neque minus *Panarollus* obſervavit ſenem 70. annorum pleuriticum ſuperveniente diarrhœa ſanatum. Pentecoſt. I. obſ. 36. Item & *Ettmüllerus* Mulierem curavit ex pleuritide ſuppuratam factam, in qua tamen omnis ulceris purulentia per diarrhœam criticam feliciter expurgabatur. Colleſ. pract. pag. 333. Edit. cit.

(χ) *Hildanus* Centur. II. obſ. 31.

(ψ) Reſp. med. 58.

fuiſſe, atque hoc modo matrem & fœtum præſentiſſimo vitæ periculo liberaſſe, non ignoremus: Id tamen ad *Hippocratis* locum pagina præcedenti 173. extantem dijudicandum.

Præter hæc & in pleuritide ex alio morbo prægreſſo orta, phlebotomia exiſtit venenum, quapropter ad ἰδιοπάθειαν, συμπάθειαν, πρωτοπάθειαν, δευτεροπάθειαν ſedulo & omni ſtudio attendendum. Symptomatum porro varietas & συνδρομὴ, morbi φάσεις, pulſuum rhythmi, perſæpe aliud docent, & quis omnia enumeret? Sufficiat attentionem ſummam, ut in omnibus morbis, ita & præcipue hic requiri, ne quid inconſulte aut temere agatur, quando ſecundum *Galenum morbi perpauci mortiferi ſunt, ſi abſit error* (ω).

Omnia igitur, ut receptui canamus, in eo conveniunt, ut is, qui aliquid hic conari & ſuſcipere cupiat, exactam habeat *indicantis*, *contra indicantis*, *repugnantis*, *permittentis*, *coindicantis*, *correpugnantis* notitiam atque profundam cognitionem: hæc omnia enim multifario &

(ω) Commentar. II. in Lib. VI. Hippocratis de morb. vulg.

& immenſo inter ſe concurſu atque mixtione rem tam mire variare & turbare ſubinde ſolent, ut, ſi rite atque decenter dignoſci, conjungi & disjungi debent, *Medicum verum* poſtulent.

FINIS.

